



IX. B. C. 222.

57.

~~IX. B. C. 222.~~

~~XXVIII. 9. 00~~

Gammelsbd 4



JUDICIUM
CÆSAREO-PRO-
VINCIALE NORICUM,

J U X T A
FONTES, IMMUNITATES, JURA,
SOLENNIA, DIGNATIONEM ATQVE
AMPLITUDINEM, NEC NON PERSONAS,
TAM OLIM, QVAM HODIE ISHOC
ADORNANTES,

SUB NATALI
SERENISS. PATRIS

PATRIÆ

QVARTO ET TRIGESIMO,
D. XXVII. JUL. ANN. CHR. clv. DC. LXXVII.

ORATIONE PA-
NEGYRICA

QVADANTENUS ADUMBRATUM,

^A
JOACHIMO HEINRICO Hagen/
ELOQV. POES. ET MATHES. PROF. PUBL.

BARUTHI,
TYPIS JO. GEBHARDI.

21

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
JOHANNI
FRIDERICO,
MARGGRAFIO BRAN-
DENBURGENSIUM, MAG-
DEBURGENSIUM, PRUSSORUM,
STETINENSIVM, POMERANORUM, CAS-
SUBIORUM ET VANDALORUM, UT ET IN
SILESIA, CROSSENSIVM AC JÆGERNDORF-
FENSIVM DUCI, BURGGRAFIO NORIBER-
GENSIUM, PRINCIPI HALBERSTA-
DENSIUM, MINDENSIUM, ET
CAMINENSIVM:

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO,

TYPOGRAPHVS JOHANNES GEHARDT

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME!



Quidem ad excelsas SERENITATIS Vestrae aures, sapientissimum Serenissimi Principis, Patruelis Vestri unice chari, Domini mei clementissimi, hoc consilium permanasse reor, quò solennes illas operas, quas quotannis auspicatae ejus lucis, quam & vitae suae principem, & Gymnasii nostri auspiciem habuit, consecrationi ac honoribus nos in isthòc Professores debemus, veterum Patriae rerum gestorumq̃, & domesticarum adeò antiquitatum, illustratione occupandas censuit. Inter quas cum vetustate originis, raritate exempli, diuturnitate, cultus, celebritate vigoris, splendore dignationis, atq̃ usûs deniq̃ fructuumq̃ multiplicitate, Judicium Cæsareo-Provinciale Noricum, quod in celebri Onoldinâ, sede Vestra Principali, hodiè tenet, facile primas mereatur, accidit, ut hujusdem mihi evolventi adumbrandiq̃ ex ordine obveniret provincia. Cujus etsi amplitudinem, & in tantâ veterum memoriarum inopiâ & caligine, difficultatem, tempestivè prævidens primò illam deprecabar; Ejus tamen, qui hæc studia nostra moderatur, auctoritate permotus, inter cetera obsequiosæ aliorum industriae certamina, hoc & meæ qualiscunq̃ contentionis argumentum exhibere debui atq̃ præsentare. Neq̃ quicquam impolitæ claudæq̃ huic præsentationi opprobrii aut contemptûs jam ab aliis timeo, cum & ipse mihi indies eam exprobrem; & præterea necessarii ex Archivis & Annalibus apparatus exiguitatem, inter adornandum sæpè deploraverim; & non nisi diu restitans, & multoties appellatus, quin

Et increpatus tandem, istam evulgârim. Interim eam tamen fore spero, quæ ubiq; veritati, ac unâ existimationi inclyti hujus Dicasterii, pro meritò velificetur, nullibi ei fraudi sit ac detrimento. Et si quid fortè quis in eâ offenderit, quod illius dignitatem aut valorem vel tantillum atterat, id defectui propioris notitiæ, atq; meæ ita imperfectioni, non illius adornationi, quæso is improperet. Ceterum qualiscunq; etiam, ad SERENITATIS Vestræ pedes certè hic sistenda erat, ut quod Aulæ atq; regis sue urbis sinu fovet ac tuetur Judicium, Ejus hanc representationem clementiæ suæ lumine pariter fooveat involvatq;. Et quò aliàs iret sodes hæc actenderet, quàm ad sidereoseos oculos, magnificentissimas eas manus, ad quæ propior clientela illius Judicii, atq; jura hospitii quasi, tantò temporum tractu pertinuerunt. Nec despero jam futurum, ut SERENITAS Vestrâ hunc ad Eam, non tam ita dirigente me, quàm suâ sponte properantem, Tribunalis hujus publici Iconismum, Et clementer admittat, Et serenò, quò Prototypon ipsum, Et illius Antistites solet, vultu beet digneturq; ! Ita prospera EI omnia eveniant, atq; cuncta vitæ Et regiminis laudatissimi spatia irruptâ serie felicissimè decurrant, Ipsaque æternâ laude florentem virtutis gloriam incolumis aliis super alia operibus augeat, Conjugemq; charissimam, ac Illustrem Sobolem, vigentem semper valentemq; videat !

SERENITATIS VESTRÆ

devotissimus cultor,

JOACHIMUS HEINRICUS Hagen/
Prof. Publ.



m !



Rgo age, faustô hinc discede omine, qui propediem cœlô nostrô abiturus, jamjam annum nobis meditaris *Vale, JULI*, mensis inclyte! Age, ô Heroum Genitor, ac ingens *ternae*, in tribus maximis gentium ac Orbis Domitoribus, [a] *summae*, in his terris *potestatis* auspicium! Atque idem nostræ, ab auspiciatô hodierni solis jubare, quô communis Patriæ salus *in Parentis sui ortu* jucundissimè perfusa, novô *Serenitatis* refoveri cœpit favore, felicitatis certus auctor age! Age inquam, prosperum nunc fortire exitum! & quandò jam præceps orbe tuô evolve- ris, in secundô, precor, lætôque terminare radiô, secundiori lætiorique olim (quod omen DEUS firmet!) iterum auspiciandus! At tu *dierum* hujus mensis *princeps*, tametsi cum postremis exhibite, nobis tamen nulli, per universum quidem annum, celebritate posterior, utpote communis in tuâ bonitate boni nostri auspex, atq; hinc præ reliquis diebus omnibus auspicate, *Salve!*

A iij

Salve

(a) *Cyrô, Alexandrô, & Julis Casare*; quorum ille Persici principatus auctor d. 1. *Julis*, perhibente *Henricô à Lindhout*, Bruxell. in *Spec. Astr.* *Iste Græcæ Monarchiæ* auctor, d. 5. *Julii*, repurante *Goldmaj.* in *director. Mathem.* *Hic Romanæ Majestatis* Conditor, d. 12. *Julii.* vitam orditus est. *Sveton.* in *Jul.* *conf.* *Macrob.* Lib. 1, *Saturn,* & *Censor,* de die natal,

Salve dies feste, dies fauste ! Dies inter obscuras tumultuantis Orbis noctes, hinc fidere *Serenissimi Principis ac DOMINI, DN. CHRISTIANI ERNESTI, Marggrafi Brandenburgensium, Magdeburgensium, Prussorum, Stetiniensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Venedorum, ut & Crossensium, ac Jägerndorfensium Ducis; Burggrafi Norimbergensis, Principis Halberstadensium, Mindensium & Caminensium; S. Cæsareæ Majestatis Campiducis Generalis Vicarii: Principis ac Domini nostri clementissimi: Indè Illustris in illustrium Scholarum Sphærâ signi, CHRISTIAN-ERNESTINI* nostri, exortu serenissime ! Salve, qui tantorum *Luminum* exsplendescens initiis, tantorum *Nominum* inclarescens primordiis, æternum victuris inferendus fastis, & ob hoc ipsum quotannis recenti quâdam elogiorum votorumq; consecrandus solennitate, hodiè iterum propitiô nobis cœlô reduceris ! Euge ! maecte hâc serenitate tuâ, & jam candidos sparge radios, fulgorisq; tui claritudine, quâ hodiè *trigesimum quartum* in ætate ac vitâ *Domini* salutis nostræ natalem collustras, prote-nus hoc Auditorium, & præsertim hunc suggestum, serena, ut cunctorum, qui inibidem detinemur, animi lingvæq;, abs tuâ irradiatione incalescentes, intentissimô submississimæ devotionis ardore, in festivitatis tuæ cultum, votorumq; nuncupationem, se totos penitusq; effundant. Sed & vos salvete, quotquot Natalitiam hanc celebritatem unâ recolendi, sub faventi præsentis horæ fidere, frequentes hîc in locô convenisse video. Vosquè inprimis **CELSISSIMI JUVENTUTIS PATRIÆ PRINCIPES**, *Heroici illius sanguinis, qui in Nostrum æq; derivatus tam excelsos hodiè nutrit spiritus, rivuli aurei omnino ac purissimi ! Pariterq; Vos Majoris Curiaë, Ecclesiaëq; patriæ,*

patriæ, hujusq; Athenæi, unaq; melioris literaturæ omnis, ac in universum, totius Principatus nostri *Lumina Columinaq;*; *VIRI*, generosi ortus gloriâ, ingenue Nobilitatis decoribus; meritorum plurimorum præstantiâ; publicorum, tam sacrorum quàm civilium, munerum amplitudine; præclaræ eruditionis famâ; ac doctrinæ tradendæ acquirendæq; juxta studiô, ad unum omnes spectatissimi: patrociniô, favore, officio, amicitia & usu multo, pro diversitate status & conditionis, mihi ætatem omnem suspiciendi, impensè colendi, longè gratisimi conjunctissimiq;!

Agite sitis, & hoc præsens *genitalis lucis* decus, ut *Principale, Heroicum*, & planè *Divinum*, decenti cultu mecum prosequimini. Quidni enim *Principale* sit, quod *medium* (b) inter *JULII*, tanti Principis ortum, & *AUGUSTI* maximarum rerum quas patravit omnium, ac ipsius quoquè *Principatus* auspicium (c), tanquam optimum nobilissimumq; exsplenduit? Quidni *Heroicum* nuncupem, quod ex Heroicò prorsus, Nemeæi *Leonis* (d) astrô, primò illò *Herculis*, absoluti Heroum speculi, ingentium ausuum monumentô (e), emicans, hunc *Heroici sanguinis florem*, tunc, cum nasceretur, amœnissimè excepit, eundemq; generosô aliquô influxu, ad robustæ virtutis & Heroici animi

(b) Medius ferè *SERENITATIS* suæ natalis inter *Cæsaris* natalem, de quò supra, & victoriam *Actiac.* quâ impetratâ *Augustus* rerum solus potitus est. de quâ *Dio Cass.*

(c) Imp. *Augustus* mense *Sextil.* primum consulatum iniit, triumphos tres in urbem intulit, &c. *Rosin.* Lib. IV. *Antiqv. Rom.* c. 12. conf. *Sveton.* in *August.* unde mensis hic ab ipso *Augustus* dictus, per *S.C.* quod, descript. vid. ap. *Macrob.* Lib. I. *Saturn.* c. 12.

(d) Sol *XXVII.* Jul. *styl. vet.* occupat juxta *Argol.* comput. $\begin{matrix} 0 \\ 13 \end{matrix}$ $\begin{matrix} 1 \\ 45 \end{matrix}$ $\begin{matrix} 11 \\ 50 \end{matrix}$ *Leon.*

(e) Vid. *Mytholog. Natal. Com.* Lib. VII. c. 1. p. 260, conf. *Strasch.* *Astrognos.* in *Leon.* P. 108. edit. noviss.

nimi vigorem, pulcherrimè vegetavit? Et quò pacto denique non *Divinum* id appellitem, quod præter spem, & supra cogitationes humanas, solâ *ope divinâ*, tam *divini* fœtûs partum, ex utero, difficilibus his mulierum laboribus minùs à naturâ apparatò, exoptatò promovit? Quod si Platonis, nobilissimæ Academicorum sectæ Conditoris, Philosophique inter Græcos facilè principis, Natalis incredibilem apud vulgatæ vanitatis gentem nactus est celebritatem, quòd in Apollinis ille diem [f] ingruerit: quantò nobis major hodiernæ lucis celebrandæ ansa in hóc factò datur, quòd hæc ipsa hóc augustò & solenni maximis Principibus tempore, è tam illustri, & Heroicis ausibus dedicatò, cœli signò, ad illustrandos non vani & gentilis, sed veri ac spirantis Musarum Præsidis atq; Ducis, gentiles honores, inq; Apollinei alicujus partûs, *Collegii nempe hujus inaugurandi*, subsidium, auspiciatò effulserit.

Et quoniam semel hanc profanæ vanitatis Camarinam movimus, aliud jam ex aliò, à gentilibus circa hominum nativitates ementitum olim, omen ingeritur, interque ea hoc potissimum, quod si quis *nonò cujusq;* mensis die [g] inchoasset ætatem, eum, quia Soli sacrum hunc ferebant solem, oppidò illustrem & magnificum jaçtabant futurum. Jam si veritas in mendaciò, vis ac certitudo in hóc omine esset, dudum ea incessisset nos persuasio, quasi ita, nec aliter omninò possit, quàm ut talem tantumq; nobis præstet Principem, tam coruscòs magnificentiæ hodiè radios emittat, qui non saltim *nonò*, sed quod utiq; perfectionis est, *ter* iteratò, in hóc JULIO, augustissimò mense, ejus numeri die, septimò nimirum & vigesimò, vitale ævum exor-

(f) Plutarch. Lib. VIII. quæst. convival.

(g) Conf. Causin. Eloqv. Sac. & Prof. L. X. c. 10. & Eloqv. Mogunt. Exerc. VIII. p. 7.

exorditus est. Sed apage inania hæc vanissimæ superstitionis argumenta ! Neque enim nostra ea fert religio, & excelsa magni Principis, qualis noster est, dignatio, dieiq; tam festivi, tam solennis, majestas, ejuscemodi prædicationum tubicines multum dedignatur. Fluxû certè ac insolidò reverentiam hujus festi fundamentò imponit, quisquis eam vel paganorum cæremoniis, vel malè sanorum vaticiniis, vel ineptientium fabulis, vel deniq; fallacibus fiderum characteribus substruit. Quibus in se ipsis suum sibi precium ac decus constat, extra se ac in incertò positam æstimationem longè averfantur. Quandoquidem ergo neq; Principalis eminentiæ altitudo, neq; præsentis solennitatis sublimitas, tam humilem patitur cultum, ut vel veterum commentorum suppositione, vel exquisitæ novò studiò commendationis aggestu, nonnihil nobis extollatur hîc aut diffundatur ; cum utraq; ex se ipsa fatis alta sit ac speciosa : supersedebo ambas prolixiori celebrandi contentione. Atque tam charissimorum Collegarum, me in hîc dicendi ordine prægressorum, quantum quidem in me positum erit, ac per multiplices, quæ me hætenus tenuère, occupationes consequi potui, elegantem æmulari solertiam, circa *patriæ historiæ*, hætenus abjectæ & squalentis, evolutionem, multum operosam ; quàm & cum primis quidem, *IPSIUS SERENITATIS SUÆ* haud ita diu singulari programme benignissimè declaratam voluntatem, pro virili meâ explere contendens, de solenni aliquâ *materiâ, res ac fata Patriæ concernente*, verba faciam. Quam ubi in eò eram, ut circumspicerem, inter plurimas, quæ se offerebant, nulla videbatur opportunior, & ad proximè superiorem, jamjam publici juris factam, de *Burggrafiato Noricò Dissertationem*, appositior, quàm quæ *JUDICII CÆSAREO - PROVINCIALIS*, inibi obtinentis, & *Onoldi - Francorum* hodiè

B

commo-

commorantis, tanquam quod adamantinò cum illò cohæ-
reret nexu, ac primævam velut imaginem, primosq; illi-
us cœptus atq; casus redderet, rationem ac mutationes,
quoad mihi datum ac fas esset, luculenter exponeret.
Hocque tantò magis, quod à civilium rerum Conditoribus
firmè omnibus, hanc ipsam indignè admodum abjectam
& desertam materiam, hincq; omnis propemodum cele-
britatis expertem, intellexeram. Quò accesserat, qui
me valdè urfit, stimulus *Viri Summè-Reverendi ac Præno-
bilissimi, Domini CASPARIS à LILIEN, Hæreditarii in
Waizendorf, &c. Serenitati suæ à consiliis intimis, Consistorii Præ-
sidis & Generalis Superintendentis, nec non Collegii hujus nostri
Directoris gravissimi; Patroni & Evergetæ mei, omni & æ-
ternò cultu mihi observandi, impenseq; demerendi: citra
cujus consultum & auctoritatem haud temerè præsumsis-
sem hoc decurrere stadium, vel etiam primum ponere in
illò vestigium. Tantò etiam promptiùs me ad detexen-
dam, hâc solenni hodiernæ lucis Panegyri, nobilem di-
gnissimamq; hanc accinxi materiam, quantò eam vobis,
Auditores, acceptiorem gratioresq; fore existimabam.
Quæ mea circa causam hanc persuasio, eam nunc in spem
impellit animum, ut jam penè nullus ambigam, me vel
solâ materiæ ad dicendum præstitutæ intimatione à vestrà
omnium æquitate aures pronas atq; patulas jamdum
impetrasse. Quæ spes ne vanum me falsumq; habeat,
Vestra mihi toties perspecta accurabit benevolentia, quam
nunc amplius Oratione hâc enixè demereri studebo, dum-
modò ne quis vel phaleras verborum, vel dicendi artis
veneres ac delicias, utpote prorsus & his viribus, & ma-
teriæ, quam verso, simplicitate, & deniq; temporum, per
quæ mihi eundum est, horrore ac duritie, multum alie-
nas & remotas, sed unicè nudam rectamq; rerum exposi-
tionem, eamq; brevem, quâ fieri potest, atq; congruam,
hic*

hïc expectet ac desideret. Et quandoquidem ego à civili-
lis prudentiæ, ac præsertim publicarum rerum usu & pe-
ritiâ, penè imparatus, insuperq; à sufficienti Archivali-
um documentorum copiâ destitutus, in hõc amplissimõ
summorum Politicorum, Virorumq; Juris atq; rerum Pa-
triæ scientissimorum confessu, de materia publici Egregii
nostri judicandiq; rationes contingente, ad dicendum sur-
rexi, verendum sanè mihi, ne eõdem quõ quondam Phor-
mio [b], Philosophus non ignobilis, cùm homo de scho-
lâ, rei militaris scientiam, audiente Hannibale, explica-
re ingressus esset, cavillõ exciperer, nisi quem in vultibus
vestris adverto, placidissimæ mentis radius, timorem mi-
hi illum omnem rursus eximeret detergeretq;. Quõ ut
porrò me dicentem beare ac fovere ne cessetis, singulos
vehementer rogo obtestorq;.

UT qui magnum aliquod obire flumen, ejusdemq; va-
gos lapsus & errores animõ consequi ac stylõ, designare
ripas, annotare vada, emetiri cursus, ac omnino univer-
sum percontari ac describere gestiunt, unum illud maxi-
mè agunt, ut ingenuos istius fontes rectè exploratos per-
spectosq; asserant: ita pariter mihi, *Auditores, cum judi-
ciõ hõc Cesareo - Provinciali*, tanquam nobili Patriæ legum
ac justitiæ flumine, nunc agendum esse autumo. Sed quod
eos, qui Nili, celebris Ægypti, & totius Orbis fluvii, caput
& originem rimantur, urgere fatum perhibent, ut nimi-
rum post longos ac difficiles anquirendi labores, in deser-
ta demum Æthiopiæ, ac in Lunæ deferantur montes, in-
ter quos errantes harenarum molibus, vehementer ibi
æstuantibus, obruti, cum omni suõ hauriantur studiõ:
idem ne eveniat mihi valde vereor, eò quòd Tribunalis
hujus principia tam condantur altè, ut qui eruere ea o-

B ij mnino

(b) Plutarch, in Hannibale,

mnino aufit ac peruestigare, id discriminis subeat, ut soletia illius, ab harenosô temporum tractu, nullis consignatô vestigiis, facilè absorberi queat, ac omnino extingui. Sed quandò semel isthoc iter ingressus sum, quæmecunq; fata maneant, illud ipsum nimirum nunc emetiendum est.

Ergò posteaquam Germania universa, ut potissimum hinc narrationis filum ducam, in diversas antè segregata nationes ditionesq;, felicibus Francorum armis in unam compulsa Rempubliam, solius *Caroli*, cognomentô *Magni*, virtuti ac Imperio successerat, plura ab eodem hóc per [i] eam constituta sunt *Judicia*, quibus cum *Regem* ipsum, tum ab ipsô passim ordinatos *Grafiones*, [quos sequior Romanæ linguæ consuetudo insigni quondam *Comitum* [k] dignata nominis est honore,] præfectosq; præsedisse accepimus. Atq; horum, quos tum *Comites* salutatos modò perhibui, in eò vertebantur muneris [l] partes, ut seorsim per pagos, seu vicos, quos nostri *GOVAS* nominabant, jus reddentes, cum *Assessoribus*, *Scabinorum* [m] appellatione hodie-

- (i) *Marqu. Freher.* in *Comm. de Lupodun.* p. 12. Erat tum temporis Francorum regnum, totaque Germania, in pagos tributa, singulisque pagis, quibus unus Comes præpositus, suæ villæ; inter quas præcipua Comitum domicilio cedebat, in quâ sedem & aulam suam, quam ipsi *Saalam* vocant, tribunalq; & auditorium haberet. &c. *Conf. Dn. Conring. Dissert. de jud. Imper. Germ. §. 21. & seqq.*
- (k) De antiq. Comitum ap. Rom. dignatione ac officio vid. *Dn. Thomaf. P. P. Lips.* in *dissert. de Scabin. & Dn. Kirchmajer, P. P. Witteb.* in notis ad *Tacit. German. p. 212.*
- (l) Comitum seu Grafionum horum officium ac partes descriptas exhibet *Dn. Conring. Dissert. de Ducibus & Comit. Imper. German. §. 15. itemq; de Judic. §. 25. & seqq.*
- (m) Hos vetus *Glossar. ap. Lindenbrog.* etiam *Auditores* Comitum vocare, tradit idem *Dn. Conringius*; quos tamen *Adjutores* salutatos mavult *Dn. Kirchmajerus*, in not. ad *Tacit. Germ. p. 122.* quanquam dissentientem in hóc ipsô à se habeat *Dn. D. Eiben* in *Dissert. de Tit. Nobil. §. 14.*

hodiernum pervulgatis, lites quaslibet, de rebus quanti-
vis, etiam famæ ac capitis, sed inter minoris saltim fortis
homines editas, (n) solerter cognoscerent, cognitasquæ
componerent. Quòd si qua impeditior, vel inter nobi-
les gliscens, altiori indigere videbatur indagine, vel etiam
à Comitibus posthabita, aut de industriâ protelata, seu
prorsus interversa, regiam posceret fidem & auctoritatem,
in eorum differebatur adventum, qui à Rege missi, & hinc
Missi [o] dicti, omnium, sese inclamantium, cognosce-
bant querelas, retractabant causas, expendebant judicia,
& præsertim ejus, qui justitiæ faciendæ assignatus erat,
mores atq; vitam sedulò introspiciebant: per quos por-
rò, quæ regiæ debebantur notitiæ, ad eandem dexterrimè
deferebantur. Ita per Germaniam ac in reliquis Imperii
Francici, cujus hodiernum vix lacinia superant, partibus,
instituta, magnò subditarum gentium fructu, atque pu-
blicæ tranquillitatis firmitudine, judiciorum admini-
stratio, usq; ad Carolinæ domus casum facta tecta perstitit.

Quò maturatò, cum irrupentibus (p) Normannis,
atq; Gallias latè affligentibus, & plerisq; insuper tumul-
tuantibus populis, magno Imperii hujus corpori aut in-
fertis, aut ad finibus & conterminis, (q) juxtà tamen infe-
stis ei omnibus ac exitiosis, prætereaq; internis (r) subin-

B iij

de

- (n) Dn. *Conring.* de Judic. §. 25. *Heinricus Meibom.* in *Vindic. Billing.*
(o) *Lehmann.* Chr. Sp. L. II. c. 10. Dn. *Conring.* Dissert. de Ducib. & Com.
§. 15. & de Judic. R. G. §. 36. & seqq. Dn. *Thomas.* disput. de Sca-
bin. c. 4. §. 6.
(p) *Irenic.* Lib. VI. c. 35. *Casspar Peucer.* in *Chron.* p. m. 51. L. IV.
(q) Initiò Bohemis, Sorabis & Marcomannis, post Venedis, Slavis, Hunnis,
Helmold. L. I. c. 15. *Adam.* *Brem.* L. II. c. 8. *Peucer.* L. IV. p. m. 512.
(r) Bellis nempe Civilibus inter Caroli posteros exortis, quibus se mutuò
obtebant. vid. *Aventin.* *Perpinian.* *Peucer.* in vit. Ludov. I. Lothar.
Carol. calv. & seqq. De seditionibus quæ Heinric. I. & Otton. I. ex-
cepere vid. inter al. *M. Sommeri* dissert. de Ottone M.

de ingravescantibus malis, & structuram Reip. vehementer impellentibus, singula in deterius irent: porro & ipse Majestatis in Imperiò fulgor, assurgentibus Ducum Principumque potentiaè radiis, & luminibus illius obstruentibus (s), indies magis magisque hebesceret: sana illa atque sancta tribunalium ratio penè omnis ac ubivis intercidit. Publicè judicandi statuendiq; potestas, in communibus etiam causis, ac solennioribus, non à Regis, ut antea, aut ab ipso præfectorum missorumve, pendens definitione, sed jam facta Procerum, cum provinciis, quarum se non Præsides amplius & Prætores, sed per omnia Dominos hi ferebant, in horummet pertransibat patrimonium, quorum quisq; jura multitudini, quam sub jugum acceperat, ex placito & ad commodum dicebat. Interim obmutescere fora, consulescere leges, obsolescere judicia, jus fasq; omne interire. Si quod superabat, id in armis versari, omniaq; potentiorum credebantur, & æquior deniq; habebatur, qui validior. Quæ incommoda commodè sustinebat, ac haud parum roborabat, Imperatoriæ Aulæ mobilitas, dum nimirum isthæc locum ex loco mutans, & jam hic jam alibi gentium agens, pluribus se cum desideris suis adeundi, atq; item latè comitandi, copiam denegabat: quod haud paucos eò adigebat desperationis ac impotentiaè, ut ferro forum posthabentes, sicâ quam dicâ disceptare mallent. Quò certè factum, ut omnis, quâ patet, Germania, latrocinis, rapinis, cædibus deniq; ac injuriis, sceleribusque, veluti restagnaret.

Tot ergò malis gravato ac extremè laboranti Imperio, ut in tempore subvenirent, pestesq; publicè grassantes saluari compescerent mediò, quos tunc curam hujus gerere, pariterq; adversus labem rerum in se ruentium, & in-
tumul-

[s] Conf. Dn. Conring. in dissert. de Duc. & Com. Imp. §, 21, & seqq.

tumultu illò stare oportebat Imperatores, maximè qui è *Saxonica stirpe* (t) oriundi erant; antiquam illam & simul pulcherrimam Reipubl. Carolinæ reddendiq; juris imaginem, quoad ejus fieri posset, reducendi, ac præsertim *vicariam Comitum, seu Grafionum, in Imperio functionem & opem, quodammodò interpolandi refingendiq;*, cæperunt consilium; quod & usui non infeliciter tradiderunt ac eventui. Cui rei luculento argumento sunt, quæ de *OTTO I.* Imperatore maximò, apud *AVENTINUM* (u) habentur, commemorantem, præpotentem *AUGUSTUM* hunc, *EVERHARDUM* præferocem Bojorum Ducem, seu quem ille vocat, Regulum, cum ignomias ac proterviam amplius ejus tolerare non posset, & Ducatu privasse, & *BERCHTOLDUM*, Everhardi avunculum in illius provexisse locum, atq; unà huic, quò intentiorem suo nutui haberet, istius fratres, *ARNOLPHUM* & *HARTMANNUM*, Præfectos dedisse, Prætorio, sive *Comites* imposuisse, quos appellant, *Palatinos*, qui in Cæsaris vicem summo Bojoariæ præsidentes Senatui, principali defungerentur munere, fidem Imperatoris implorantibus adessent, jusq; redderent, ac imperialem fiscum, prædia salica, reditusq; regios, enixè curarent. Quò ipsò Imperatoriæ eum auctoritatis atque Reipublicæ ruinas, ad priscum Carolinæ reëtitudinis habitum, quodammodò reformare ac per opportunam collapsæ in Palatinis

[t] Ante horum tempora, incognita adhuc fuisse illa dignitatum nomina, quæ inferius adducuntur, perhibet *Cranz.* Saxon. L. II, c. 12, ut & *Joh. Gryphander* de Weichbild. c. 79. n. 5. Quanquam sint, qui *Ludovici Pii* tempore *Comites de Donah* Burggrafiali dignitate floruisse contendunt. Vid. *Limn.* Tom. 4. *Addit. Jur. Publ.* L. IV. c. 4. n. 90.

[u] *Annal. Bojor.* L. IV. f. m. 491. & *Lib. VII.* f. 661. *Conf. Autor. Von den alten Reichs- Vogthehen.* p. 7. nec non *Pfann.* c. 3. de gente *Palatin.* *Bavar.* p. 106.

nis Majestatis columnæ restaurationem denuò fulcire, magnò fategisse conatu, nemo non intelligit. Et quanquam diffitendum non sit, Comites hosce Palatinos multum à primævis illis Palatii mutasse [x]; eos tamen ad constringendam Ducum potestatem tunc reductos, in proclivi est conjicere. Neq; autem hos saltim & in Bojoariâ modò, sed & alibi (y) atq; alios (z) veri illi Imperii Augusti, ac quidam quasi *JOVES STATORES*, per Germaniam suscitavit Comites; ac in his maximè, quos teutonicâ [pro solenni majorum, qui nisi merum ac ingenuè (aa) Germanum nec corde ferebant nec ore] nomenclatione *Burggrafios* agnominari placebat, eò quod in *arce* (bb) vel *castrò*, sæpe communitò, quale olim hodieq; nostrate idiomate *Burgum* (cc) audit, federent, veteri velut Comitum honore officioq; spectabiles.

Namq; ex omni Nobilitate Germanicâ tum delecti sunt (dd) viri manu pariter ac consiliò prompti, qui in *Arcibus* & *Castel-*

[x] Conring. de Jud. Imp. Germ. §. 89.

[y] In Saxonîâ, Sveviâ, Franconiâ, Burgundiâ, &c. Conring. l. sup. cit. conf. Aut. vom Reichs-Vogt. p. 7.

[z] *Münster*. Cosmogr. L. V. c. 20. *Lehm*. Chr. Sp. L. II. passim. Fusissimè *Limn*. in J. P. L. IV. c. 4. *Speidel*. in Thes. sub litt. G. p. 362. Conf. Conring. Diss. de Ducibus & Comit. Imp.

[aa] Dn. *Schottel*. Introd. in Lingv. Teut. Lib. I. in der achten Lob-Rede.

[bb] *Peucer*. lib. V. p. m. 807. *Nolden*. de Nobilib. c. 8. *Hugo Gros*. de Rep. Batav. c. 5. citante ita eum Dn. *D. Herm. Hofmannò* nostrò in ser. & piâ tract. Just. cap. 9. §. 6. p. 416.

[cc] *Freher*. de Lupodun. *Cluver*. de Germ. antiqv. L. I. c. 13. *Schott*. L. 5. tract. 6. p. 1295. *Speidel*. Thes. l. B. p. 136. Dn. *Conringius* tamen ex *Luidpr*. *Burgum* nonnihil aliter interpretatur, in dissert. de Urb. Singularis est *Heringii* acceptio, de jure *Burgor*, quâ *Burgum* statuit curtim, sive domum *Prætoris*, ubi judicia exercebantur. Quæ acceptio hujus vocis intentionem nostram egregiè fulcit substruitq;.

[dd] *Münster*. L. V. c. 20. *Peuc*. L. V. p. m. 809.

& *Castellis* per potiores [ee] celebrioresq; , & jam maximam partem liberas (ff) Imperii urbes, crebrò excitatis sapientissimò disponerentur consiliò, ut exinde, tanquam è speculâ, in subiectum sibi Imperialis territorii tractum, prospicientes, eum à tumultibus, latrociniis, deprædationibus, & omnino omni injuriâ (gg) indemnem immunemque præstarent. His insuper juris administrandi aliqua
 C addita

[ee] *Irenic.* l. III, c. 112.

[ff] Liberas quasdam jam sub Saxonis Imp. urbes asserit *B. Rhenan.* Rer. Germ. l. II, tit. Stat. Germ. sub Imp. Sax. *Lehman.* Chr. Sp. l. IV, c. 3. *Besold.* de jure Civit. Imperial. n. 2, p. 119. quanquam aliter videatur *Conringio*, quem videsis de Urbb. Germ. §. 121.

[gg] Cujus inter alia testes Rythmi veteres, è Chronicò Norimbergensi antiquò deprompti, ita de *Conrado Imp.* strepentes :

Als nun die Stadt war aufgericht/
 Zur Straff der Mörderey entwicht/
 Setzt dieser Kayser Burggraffen/
 Die Leut zu schützen und zu straffen.

Quò apprimè, & præsertim quod ad Noricum Burggrafiatum attinet, locus facit *C. Celtis*, primi Germaniæ Poëtæ Laureati, è libellò de Urbe Norimbergâ, qui c. 2. ita habet : *Aucta Urbs sobole, influentibus assiduè Herciniæ pastoribus, ejusq; loci aboriginibus. Hi congestis temerè saxis & roboribus, fossâ oppidum cinxere. In quod diversarum artium, & morum homines, colluvie quâdam sine Duce & legibus, collecti cõiere, qui LATROCINIIS & ferarum more rapinis dediti infestam reddebant Germaniam. Quamobrem per Imp. Conrados & Henricos, castellum cum arce suâ direptum & expugnatum legimus. Neq; à LATROCINIIS, ab indomitis tunc hominibus, temperatum est, donec Imperator exercitum colli admoverit, muros erexerit, domicilium præterea firmissimum in arce quâdam [procul dubiò Burggrafiali] construens, veteranisq; & emeritis ibi relictis, quibus regenda urbis gubernacula commiserat [en Burggrafium atq; Adseffores suos!] præcepit, ut vastum nemus ob commercia à latrociniis purgarent, &c.*

addita est potestas (*hb*), istamve in rem non modò plures adjuncti Adseffores, quos & *Auditores*, vel si mavis, *Adjutores* & *Scabinos* (*ii*) à Scriptoribus ejus ævi appellatos palam est; sed & certæ descriptæ sunt provinciæ, quibus controversias suas eò ferre, coramq; his, tanquam *in Caesaris presentia*, jure invicem experiri imperatum erat. Quæ deinceps ita sociatæ unò certi *Burggrafiatus* veniebant nomine; sicut & eos, quibus fors reddendi juris in iisdem obvenerat, *Burggrafiorum* emicasse titulò, per ea quæ supra commemoravi, in aprico est. Quod nominis quila- tinè inter rerum & annalium Conditores, ævo illi proxi- mi, reddere fategerunt, nunc *Prætoris* isthoc aut *Præfecti*, jam & (*kk*) *Castellani*, sæpius autem (*ll*) *Advocati* notio- ne & conceptu exhibuisse, passim reperire est. Quam ul- timam notationum è Carolinâ pariter ætate, juxta & con- filiò, in *Burggrafios* nostros devenisse, certa documenta evincunt, commemorantia, CAROLIM. ævò ac auspiciis, hinc

[*hb*] *Peucerus* L. V. p. 806. *Auct. vom Reichs-Bogth.* p. 29. & in *Apo- log.* c. I. p. 84. ex *Pomar.* & dem *Weichbild.* *Conf. Gylmann.* *Sym- phorem.* qui cum *Suppl.* Tom. I. part. 3. vot. 23. n. 42. de *Burggra- fiis* dixisset, eos judicia publica, & universam potestatem publ. locò *Imp.* exercere, addidit eòdem num. *Burggrafiatus* habere, *Seine Ehren und Würden / Land- und Hohe Gerichte.* Quod & ita certum est, ut *Burgum*, à quò nomen *Burggrafii* sortiti sunt, nil aliqui, quam locum judicii, quidam fuisse velint. *Bignon,* ad *Marc. conf.* alleg. super. [*cc*] ex *Hering.*

[*ii*] Vid. celeberr. *Dn. Thomaf.* disp. de *Scabin.* ubi & *Rachimburgios* eos nonnullibi vocatos tradit: itemq; c. 6. §. 14.

[*kk*] Videtis doctiss. *Dissert.* de *Tit. Nobil.* *Dn. D. Eibens / §. 20.*

[*ll*] Ita *Würzburgenses* *Burggrafios* ipse *Imp. Conradus II.* in litt. de Anno 1149. apud *Spangenberg* L. II. *Geneal. Henneberg.* c. 9. vocat *Advocatos* in *Würzburg:* & *Burggrafios Augustanos Episcopi* illius loci *Advocatos* salutat *Gasserus* fol. 347. *Pomarius* quoq; *Burggraf.* *Mag- deburgens.* perpetuum hujus *Episcopi Advocatum* ex institutione *Ot- tonis M.* indigitat, in *Chron. Saxon.* *Vom Amt der Pfalzgrafen.*

hinc inde ordinatos bonæ existimationis atq; fidei viros
 (mm), quibus id injunctum sollicitudinis, ut Ecclesias pecu-
 liariter sibi legatas, resq; istò pertinentes, ac cum primis
 victum & fortunas sacerdotum, enixè curarent tuerentur-
 què ; porrò reddituum ac prædiorum, nec non decima-
 rum servitorumve, & si quæ alia juris essent Collegii, ra-
 tionem diligenter haberent, fideliterq; administrarent,
 tandemq; & causas, Clericorum sustinerent in foris : ne
 qui sacrorum apparationi & ministerio tantum initiati e-
 rant, profanis operantes rebus ac vacantes negotiis, divi-
 ni cultus studio minus commodè gnaviterq; incumberent.
 Quod admodum salutare compositi illius ævi institutum,
 ubi cum pluribus aliis, non utilibus minus ac proficuis,
 subsequarum tempestatum æstu, ac turbarum impulsu,
 gravissimè convulsum, passim interierat ; in *Burggrafiis*
 redivivum, vires quadantenus titulosq; resumfit : quando
 in locis, quibus expiraverat (nn), ac præsertim per urbes
 Burggrafiatibus mañtatas, intercisi ejus ministerii operæ
 ac partes in Burggrafiale officium, tanquam ex testato,
 concesserunt ac transcriptæ sunt. Iis verò in Imperii (oo)
 locis, ubi laudatissimæ isti Carolinæ ordinationi, tempe-
 statum illarum eluctatæ injurias, sua nihilominus inte-

C ij gritas

[mm] De munere Advocatorum prolixè agit Dn. Conring. in Dissert. de ju-
 dic. Reip. Germ. §. 35. Auct. vom Reichs-Vogth. sub litt. A a,
 p. 52. & Bb. p. 53.

[nn] Ita Advocatia Augustan. in Burggrafium ejus loci transit. Gasser. fol.
 347. Et Burggraf. Magd. Advocatum ei Episcopatu datum supra
 allegat. sub litt. [//] assertum est. Idem de aliis Advocatiis probat Au-
 ctor vom Reichs-Vogth. passim.

[oo] Præsertim Ratisbonæ, ubi juxta Episcopi Advocatum etiam Burggra-
 fium, Bojoariæ Ducum nomine, sedisse, der das Schultheisen-Amt/
 Fried. Gericht und Cammer-Amt / 2c. verwaltet / multis & præ-
 stantibus documentis adstruit auctor vom Reichs-Vogth. in Apolog.
 cap. 8, p. 299.



gritas constitit; [quemadmodum in *FRIDERICI II.* usq; tempora passim superasse illam, memorias veteres consulenti clam esse nequit:] ibi juxta Burggrafiatus comiter se & pacatè tenuit. Unde, si quid judico, deinde evenit, ut multiplices (*pp*) nomen *Advocatus*, in annalium voluminibus, significatus & explicationes admiserit, frequenterq; cum *Burggrafi* commutatum fuerit voce; quodq; & ipsi *Burggrafi* (*qq*) eam appellationem inter insignia honorum ac titulos haud rarò retulerint. Sunt (*rr*) qui *duplicis Burggrafios censûs* faciant; alios *Cathedrales* seu *Ecclesiasticos*, Episcoporum juxta & Sacerdotum bonis dispensandis custodiendisq; appositos, & ita priscis illis Advocatis suppare; alteros *Civiles seu Politicos*, publicæ conservandæ paci & justitiæ faciendæ accommodos. Et hos iterum varios & multiplices. Quò datò *duæ* emergent classes Burggrafiatum, una *Ecclesiæ*, altera foro dicata. Quæ quàm propensa sit ad veritatem assertio, meum hic expendere non est. Illud verò omni caret dubiò, aliquos ex iis, quos civiles ferunt Burggrafiatus, amplitudine & dignatione ante reliquos (*ss*) excelluisse; inq; his maximè qui
per

[*pp*] Varios illos Advocati significatus vide sis ap. Mager. de Advoc. c. 2. n. 204. & seqq. nec non ap. Höpping. Dissert. de Jure protect. conclus. 7. sub lit. B.

[*qq*] Sic certè *Gothofridus* quidam, quem MSS. fide dignum Burggrafium Noricum è Vohburgensium familiâ oriundum allegat, in literarum à Conrado III. confirmandis Monasterii Denkendorfensis immunitatibus perscriptarum obsignatione, cui tanquam testis simul aderat, *Advocatum* se in *Nürnberg*, agnominavit. Fortassis quia S. Clæræ & S. Ægidii, Cænobiorum curam ut *Advocatus* gessit. Quò certè collimare videtur *Gylmann*, vot. Cameral. T. I. p. 3. v. 23. n. 57. p. m. 102.

[*rr*] Vid. *Auct. vom Reichs-Bogth.* p. 28. & sub litt. A a a a, in Annot. Conf. Dn. D. Eibens Dissert. de Tit. Nob.

[*ss*] *Münster. L.* III. c. 18. *Pet. Andlav, de Imp. Rom. L.* I. c. 16. *Auct. vom Reichs-Bogth.* p. 28.

per *Norga-viam* excitatus, castroq; , quod *Norimbergæ* olim eminebat, additus, à tractus sui nomine *Norici* cognomen sortitus est. Hunc à (tt) *CONRADO II.* Imperatore, quem & *Saliq-vum* salutatum accepimus, circa annum reparatæ salutis clo XXXmum erectum, monumenta certa perhibent.

Jam ex istâ *Burggrafiorum* non in subditos modò, sed & in alios sese inclamantes, reddendi juris facultate, adjunctòq; ipsis Senatorum ordine, *Judicium hoc Cæsareo-Provinciale*, ad eum, quò hodiè præstat, vigorem splendoremq; promanasse, aut certè hinc oriendi ansam crescendiq; locum cæpisse, haud incongrua plurimorum fert opinio. Cui utiq; non exilem conciliat speciem, quòd judicii hujus adornatio, cum primis vetustior atq; tabulis publicis firmata sanctaq; , cum priscâ illâ *Grafionum*, ac deinde *Castellanorum*, per pagos & provincias jurisdictioni (uu) formâ & consuetudine, in non paucis mirificè conspirat: quemadmodum utriusq; introspiciens statum atq; habitum, atq; inter se contendens, haud difficulter cognoscet. Quò pariter facit, quod non levius ipsi pondus addit, quod pleræq; illustriorum per Germaniam *Burggrafiatum* hospitaes urbes ac Provinciæ ejuscemodi Tribunalibus peræq; olim instructæ spectabilesq; extiterint: quod de

C iij

Magde-

(tt) Ita & *Irenic.* L. III. c. 58. quamvis ambigè, dum unà *Heinricum* indigitat. Quod & facit *Münster.* L. V. c. 329. Sed MSS. Chron. *Noriberg.* *Conrad II.* designat auctorem. Conf. *Dn. D. Wurfbains* Tract. MSS. de *Burggr.* *Noric.*

(uu) Quem descriptum vide sis ex *Ansegisô* & chartâ quâdam *Alamann.* ap. *Goldast.* Tom. II. *Rer. Alam.* part. I, p. 58. in *Dissert. Dn. Conringii* de *Jud. Rep. Germ.* §. 26. & seqq. nec non in *Dispp. Dn. Thomaf. de Scab.* c. 4. Conf. *Lehmann. Chr. Sp. L.* II. c. 22. & *Auct. vom Reichs-Bogth.* in not. sub litt. P p p p. p. 122. ut & *Dn. D. H. Hofmann.* in *Ser. & piâ* Tract. *Jud. & Just.* Part. II, c. 9. p. 425.

Magdeburgô in aprico est ; itemq; de *Rotenburgô ad Tubarim* (xx) & aliis, præsertim præcipuis illis quatuor, intereratâ historiâ fide extra dubium ponitur (yy). Ut adeo ex eorum, qui sic arguunt, mente, eadem Dicasterio huic nostro, quæ *Burggrafiatus* ipsi, incunabula, eademquè natalium prærogativa, atq; dignitas, publica nempe Imperantium auctoritas, assignanda sit ac tribuenda. Quam persuasionem ipsorum non parum fulcit tueturq;, quòd partim ipsi Imperatores in literis ac edictis suis super isthoc rogatis, [quorum plurima in Archivis suppetunt,] de *Judicio isthoc*, ceu de *S U O*, ac de illius Præsidibus, tanquam iis, qui *Ipsorum inibi vicem sustinent*, honestissimè semper & senserunt, & retulerunt : partim verò, quòd qui exercent istud iudices, consulta omnia iudicataq;, sua Imperatoriò nomine perscribere ac vulgare consueverunt. Tum verò, & cum primis quidem, quòd sæpè *nominatum Judicium*, cum hòc ipso *Burggrafiatus Noricò*, ab Imperatoribus Regibusq; Germaniæ, certis Imperii Statibus ac Principibus, postquam is hæreditariò ad hos Jure cœpit devolvi, cum de eò investirentur, *ad instar Feudi*, nunquam non concessum, ac sive singulari Programmate, sive junctim cum ceteris *Burggrafiatus* Regalibus, transcriptum, ac indultum est : uti ex literis Infeudationum, quas dicunt, in proclivi est cognoscere. Ex quò consequitur, sæpe dicto *Judicio* cum *Burggrafiatus* hòc ita convenire, ut eidem peculiare quidem, sed connatum tamen ac coævum, aliquod decus, & quoddam quasi auctoramentum, perhibeat. Atqui hæc assertio statim hoc insinuat, quòd tametsi cum

Burg-

(xx) Autor vom Reichs-Bogth. sub litt. A a a a. p. m. 124.

(yy) Ad quæ judicia procul dubiò respexit H. Arnif, quandò in Tract. de Majestate, L. ll. c. 4. n. 15. f. 322. & alleg. Besold. in Thes. Pract. pag. 142. scripsit : Quatuor præcipuorum *Burggrafiatus* sedes judiciales adhucdum esse superstites.

Burggrafiali dignitate atq; munere hoc Judicium initio emerfit, ejus tamen ditionibus ita neutiquam arctandum sit ac constringendum, ut non *publicum* unà cluat, & commune Imperio, cùm illimem Imperatores in *Burggrafios*, quod ex suprà dictis constat, judicandi potestatem contulerint, uti quos *Augustis suis Vicibus* coruscis, Majestatisq; quòdam suæ radiò illustres voluere ac conspicuos. De quò infra differendi fortè latior sese campus aperiet.

Enim verò dicam nobis scribere videntur duo illustris famæ Viri, quorum alter (1) optimus Antiquitatis Germanicæ Assertor, in Academicâ Dissertatione quâdam, expressè contendit, *Judicium Magdeburgicum*, quod ejusdem olim cum hòc nostrò, ceu diximus, rationis ac vigoris, eandemq; ad ortus nobilitatem reducitur, arbitrariò duntaxat populorum consiliò, absq; Cæsaris auctoritate coaluisse, utut qui de eò commententur, *OTTONEM M.* auctorem ejus jaçtitent; cùm non ignotum sit, quàm multa ejuscemodi in auctores Cæsares non ita applaudente referantur veritate: Alter maximus Juris Publici Interpretes, & quidam ejus quasi promus - condus (2), de judiciorum horum, ac præsertim per Sveviam obtinentium, origine, id in scriptis suis retulit, videlicet hæc quondam extitisse Ducum, ac fortassis ipsorum saltim coivissenu, post ad imperium relata Imperatorum subiisse arbitrium. At enim, quando ne Hercules quidem adversus duos, nedum adversus Hercules duos ego unus, nec, quod fateor, Laco; esto, si per omnia quidem Judicio huic nostro, cum illis Svevicis [Magdeburgicū enim hòc locò, ne extra ripas mea diffluat Oratio, atq; nimis redundet, præterve-

(1) Celeberr. Dn. Conring. in Dissert. de Jud. Reip. Germ.

(2) Linnæus, J. P. L. VI. c. 3. n. 56. Conf. Besold, Thes. Pract. sub Tit. Land. Bericht in Schwaben/ p. m. 488.

tervehere cogor] congruerit; quod tamen nondum neq; ego affirmavi, neq; quod sciam, quispiam contendit aut pervicit; (ecquis enim contendat? qui pervincat? cum ceteris nudè audientibus *Provincialibus*, hoc *Cæsareo-Provinciale* singulariter vocetur, qui *certè titulus de ventò non est*, agente *Gylmannò* (3), cumq; alia certis circumscripta regionibus sint causisq;, hoc cum Imperatoriò vigore quaqua-
 verfum, sese porrigens, super omne Judicium judicet:) esto nihilominus, alios, quàm qui supra aperti sunt, judicii hujus fontes intimandos esse: attamen quis in tantâ programmatum seu literarum, ab Imperatoribus per aliquot secula publicè super isthoc propositarum, multitudine, quibus *Suum Isti identidem* nominare illud nihil dignati sunt; prætereaq; certis, quibus visum erat, delegarunt iudicibus, qui *Ipsorum locò nomineq; omne judicantes judicium*, controversiasq; minuente præfederalunt; atq; insuper idem præstantissimis nobilitarunt privilegiis; quin & collapsum sæpè ac convulsam, magnò nisu & contentione integritati ac vigori suo restituerunt: quis, dico, in tantâ, & hâc publicâ monumentorum extantissimorum luce, tam effrons sit ac temerarius, qui Imperatoriam nihilominus auctoritatem, ac, ut Solini verbò utar, valentiam solennem, Dicasterio huic derogare ausit. Tales enim dispositiones publicæ, & ab Augustissimis Imperatoribus impertita privilegia, ecquid aliud nisi argumenta quædam sunt illustria, de diuturnò Judicii hujus exercitiò & longævò vigore, summâq; auctoritate, firmitate, & dignatione, disertissimè loquentia testantiaq;. Quippe quæ expresse sese ad inveterata, & ex ultimâ antiquitate allegata, ejus jura monumentaq;, tanquam ad fundamina & radices suos, referunt. Suntq; inducta, ut novò subinde istud robore circumdent, faciantq; auctoritatis validitatisque

majo-

(3) D. Decis. 48, n. 3.

majoris, ac omnes deniq; defectus suppleant compen-
 sentq;. Itaq; hoc statuo, priscam illam reddendi juris ra-
 tionem *Burggrafis* usurpatam olim ac consuetam, *Judicio*
huic nostro, quod & supra innuebam, originem præbuisse,
 & exercendi habitudinem, *interuentu* & *Imperatorii auspicii*
annutiusq;, & *Imperii Procerum consensionis ac complaciti*. Cer-
 tē ut *Supremi rerum in Imperiō Moderatoris auctoritas*,
 circa fontium *Tribunalis* hujus indicia, per ea, quæ supe-
 rius memorata sunt, illustres spargit radios; ita quæ de
 Principum Statuumq; Imperii assensu, si non primō illō &
 originariō, subsequūtō tamen atq; accessoriō, testantur in-
 promptu argumenta sunt. Quorum primum, quod *RU-*
DOLPHUS I. Imp. in *Aurēā Bullā*, *FRIDERICO Burg-*
grafio, annō cIo. CC. LXXX. impertitā, his sub finem ejus
 verbis utitur: *Sicut alias, de CONSENSU NOSTRORUM*
PRINCIPUM, Aquisgrani omnia supra dicta, [inter quæ Ju-
 dicium utiq; hoc, & ferē primum,] *sub ærē nostrō sigillō*
concessimus, sic nunc ipsi ea concedimus in feudum. &c. Alte-
 rum, quod in nobili illō *Diplomate Cassatoriō*, quod à *SI-*
GISMUNDO Imp. universo Imperii Orbi super istud
 perhibitum est ac irrogatum, hæc perscripta eminent:
Darum mit wolbedachtem Muht / gutem Raht / Unser und des
Reichs Fürsten / Grafen / Edlen und Getreuen &c. Quæ verbo-
 rum series in *Imp. FRIDERICI* III. *Diplomatibus*, de an-
 nō cIo. CCCC. LIV. & LVI. iisdem apicibus iterata legitur.
 Tertium, quod in *Ejusdem FRIDERICI Gebots-Brief* de
 annō cIo. CCCC. LXXXI. expressē **Unser und des R. Reichs**
Gericht vocatur; quō nomine multoties ab ipsā etiam
 Cæsaris Aulā *Camera*q; *Imperiali* ornatum dignatumque
 Archivalia documenta clamant atq; manifestum faciunt.
 Quibus sic adductis, jam de *Procerum* æq; *Imperii* in *Judici-*
 um hoc consensu, atq; *Summi* *Ejus Arbitri* arbitriō destina-
 tioneq;, abundanter constat. Inde ergo ortum, ac *Impe-*
 rial-

rialibus saltim destinatum provinciis, ubi longò creverat usu, atq; famam sui longè lateq; explicaverat, deniq; subindè novis Imperatorii indultûs testimoniis auctum, statutumq; fuerat, amnis instar latè manantis jugiter exundavit : idq; ad morem fortassis ac modum *Judicii Robtwilensis*, de quò eruditissimus *Vadianus* (4) affirmavit : *Ei præsidere Comitem, sed finibus tamen jurisdictionis latiùs, quàm pro veteri more prorogatis : cùm pauciores in numerum contractis cognitionibus veteribus, limites conventuum [judiciorum] proferri necesse fuit, eò quòd paucis jam in locis ageretur, quod pluribus antè actum fuisset.* Hùc accessit, quòd ipsi etiam Imperatores suas causas eò (5) attulerunt : quò adeò factum, ut & exteri [6] illud venerarentur ac suspicerent. Atq; hæc de Ortu *Judicii hujus nostri* ac cunabulis, in tantâ Germanicæ antiquitatis caligine, ac levissimâ vestigiorum, qui ante me hanc viam emetiti sunt, stricturâ : quæ ipsa ita rata velim certa q; , ut propiora adstruenti fundamenta, verioresq; recludenti fontes, & manus dare promptissim, & magnas agere gratias.

Utcunq; autem ortum ac eductum, cum ipsâ utiquè Burggrafiali dignitate atq; munere, per varias circumductum familias, ultimò in *Vohburgenstum* Comitum gente, quod in literas relatum, conquievit. Quâ extinctâ circa annum Salutis cl. CLXmum in *Heinricò* Comite, sub illustrissimam *Zollerensis Domus* umbram concessit : in qua, hodiernum, adspirante optimi Numinis gratiâ, ac suaviter, id

(4) De Colleg. & Monaster. Germ. Vet. L. 1. p. 35.

(5) Prout patet ex consignatione Præjudicior. sub calcem Orationis annexa.

(6) Quod præter alia documenta archivalia & Acta hujus fori, testatum facit, Actio *Regis Polonia* in urbes quasdam German. de quâ in Consignatione Præjud. n. 5. Confer Goldast. *Politische Reichs-Händel*/part. XXV. Vom Beschw. des Reichs / p. 992.

id ipsum fovente, pulcherrimè floret fructificatq; Cui autem primò in hâc Domô hæc publicè dicundi juris sparta obvenerit, quisve ante omnes huic foro Præses ex eadè contigerit, tam longè recedit à certitudine, quàm in ambiguo versatur, quis primus ex illâ Comes ad Burggrafiatum honorem adscenderit; postquam pervagata illa & per manus tradita opinio, quæ in *RUDOLPHI I.* Imperatoris, Sacratæ Austriadum gentis & potentiae fundatoris, liberalitate ac benevolentia istius fortis fontem statuit, per eum de *Burggrafiato Norico*, ab amantissimò Collegâ [7] ediffertatum sermonem, fatis validè concussa, & ex adverso abundè comprobatum est, diu ante Imperatoris hujus tempora, *Zollerensis* familiae Comites, Burggrafiorum Norimbergensium prærogativis & titulò effulsisse. Quamquam diffitendum non sit inter ea monumenta, quibus publicum hocce judicandi munus, in istam domum, feudi nomine & acceptione, illatum patet, nullum, quantum mea mihi conscientia suggerit, antiquius superare & extantius, quam eas ipsas literas, quibus sæpè celebratus Imperator *FRIDERICUM Burggrafium*, cui *Edel seu Edel FRIDERICI* nomen virtus fecerat, de Regali hóc seorsum à Burggrafiatu infeudatione, uti quam *Aurea Bullæ* splendor venerabilem reddit, solenniter inauguravit. Epitomen illarum, quam *Extractum* hodiè dicunt, quia gravis & simul brevis, quanquam pro consuetudine illius ævi subhorrida & impexa, dignam habeo, quam cum spectabili hóc Auditoriò communicem. Ita verò illa : *RUDOLPHUS Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, universis presentem paginam inspecturis Salutem & credere subnotatis! Regalis præminentiae requirit honestas, ut singulos & universos devotè nobis & fideliter famulantes, condignis debeamus*

D ij premio-

[7] Dn. Georgiò Layrziò Histor. Sacr. & Civil. Prof. Publ.

præmiorum retributionibus prævenire, ut spe remunerationis ceteri ad nostra & Imperii obsequia confidentius animentur. Notum igitur esse volumus, & præsentibus publicè protestamur, quod nos advertentes devotionem & fidelitatem dilecti nobis FRIDERICI, Burggrafi de Nürnberg, universa bona infra scripta, videlicet Comiciam &c. JUDICATUM PROVINCIALE in Nürnberg, cui etiam vice Imperatoris omne iudicium judicans præsidebit, &c. cum reliquis feudis, quæ item & sui progenitores à nostris Antecessoribus antè habuisse dignoscuntur, titulo feudali concessimus in feudò &c. Ad majorem itaq; observantiam præmissorum, & roboris firmitatem, scripta præsentia nostri Sigilli caractere, iussimus roborari. Datum Aquisgrani, anno Domini cIo. CC. LXXIII Imò, 8vò Calendas Novembris, indictione tertiâ. Quarum literarum tenor, uti à me hic recitatus, & à vobis jam exceptus est, *Auditores*, haud ita longè post à *RIUDOLPHI* hujus filiò, *ALBERTO I, FRIDERICUM alterum*, Burggrafium Norimbergensem, iudicio huic nostro initiante, non ad verba solum, sed & ad apices eorum, renovatus prostat, sub Datò, apud *Argentınam*, *Idibus Maji*, annò Domini cIo. CCC. indictione XIIIâ. Neq; minus eæ à singulis subsequutorum Imperii Moderatorum, ad invictissimum usq; *LEOPOLDUM* nostrum, ratihabitæ & novò quasi robore sunt circumdatæ.

Quò locò maximâ fanè veneratione ac præconiò prosequenda est *Orbis Dominorum*, olim hodièq; præpotentium, singularis, cum pro universæ *Burggrafialis hujus Gentis* dignitate atq; magnitudinis incremento, tum, & cum primis quidem, pro *Judicii Provincialis* hujus incolumitate, ac conservacione, cura & circumspectio, ut qui omni providerunt tempore, nè quod damnum temerè aut incommodum per quenvquam unquam id acciperet; quin contra quorumcumq; assultus & molitiones iniquas perpetuâniteretur firmitudine, pulcherrimèq; sibi semper consistere.

ret.

ret. Cujus præclarum argumentum præstant literæ, quibus *SIGISMUNDUS Imp.* datis Constantiæ, in Vesperâ Jacobi, annô citra Christi natalem cIo CCCC. XVII mō, *Ratisbonensium* civium privilegium, adversus Tribunalis hujus jurisdictionem, quâ & ipsi tunc, & alii Bavariensis tractûs incolæ tenebantur, in caussa *Johannis Staufii*, equestri dignitate Viri, qui in jus huc eos arcesiverat, ab Aula Imperatoria præciò ac precibus eblanditum, penitissimè refixit ac abrogavit; unaq; judiciariam hanc Principum Burggrafiorum potestatem FRIDERICO & JOHANNI, eò tempore strenuè istam vindicantibus, denuò illibatam, atq; integram asseruit. Quod nec minùs graviter à FRIDERICO IV. Imperatore Romano, plus simplici vice factum esse, hanc in rem editæ, & adhuc dum superstites, sanctiones pragmaticæ, satis superq; loqvuntur. Quarum Ille *primâ* universim omnes omnium Imperii Principum Statuumq;, ab Imperatoribus quibuscunq;, impetratas immunitates, Burggrafialis hujus ditionis jura & regalia quâquâ ratione atterentes, maximè *Provincialis* illius *Curie* subruentes firmamenta, potenter labefecit & è medio sustulit [8]: quæ quidem Sanctio

D iij

atio

- (8) Verba utriusq; Diplomatis Cassatorii, quoniam gravia sunt & ponderosa hic adducere operæ pretium puto. Ita autem utrob; habent: Wir Sigmund/ von Gottes Gnaden/ 2c. Wir Friederich/ 2c. Darum mit wolbedachtem Muht/ guten Raht/ Unser und des Reichs Fürsten/ Grafen/ Edlen und Getreuen/ haben wir geseht/ gesprochen und geleutert; setzen/ sprechen und leutern/mit rechten Wissen/ in Krafft dieses Briefs/ und Röm. Râns. Macht Vollkommenheit/ was Gnad/ Brief/ Freyheit und Privilegien/ Jemand/ wer der oder die sind/ es seyen Fürsten/ Grafen/ Edle oder Unedle/ Geistliche oder Weltliche Leute/ Bürgermeister/ Râhte/ oder Gemeinde/ Unser und des Reichs/ oder ander Städte oder Dörfer/ von den vorgeannten Unsern Vorfahren/ Röm. Kaisern und Königen/ oder Uns bishero gethan und gegeben sind/ oder fürbaß gethan und gegeben werden/ die wider vorgeannten 2c. Burggrafen/ und nemlich (**)

Actio Norimbergæ condita, publici juris facta est feriâ quartâ,
 Augustini anniversariam proximè subsequâ, an. cl. CCCC.
 LIVtò. Et mox alterâ, eâq; aliquantò specialiori, perscri-
 ptâ *Neostadii*, feriâ pariter quartâ, tunc Mariæ Magdalenæ
 contiguâ, anni supra cl. CCCC. LVti. urbium Imperii li-
 berarum, & nominatim *Norimbergæ*, ac reliquarum per
 Franconiam omnem Sveviamq; & ad Rhenum sitarum,
 quotquot illud frequentarant forum, & vadimonia inibi
 hæctenus obierant, [id quod omnes fermè fecerant,] con-
 tra id obtentas exceptorias, diluit cunctas resciditve; &
 ex adversò inveterata illius jura, statutaq; & privilegia, in-
 signi denuò robore circumdedit, diligentissimeq; consta-
 bilivit.

Novis prætereà *Idem* prærogativis, eòdem annò Oswal-
 ti die indultis, *Noricum* hoc maectavit *Themisteon*; sed ita ta-
 men, ut nequid Principum Burggrafiorum auctoritati, &
 præeminentiæ, quâ id ipsum à majoribus acceptum eò us-
 què perornaverant, iisdem derogaretur. Inter quas ista
 speciosa est ac singularis, proindeq; singulari quoq; com-
 munita Diplomate, perscriptò die primò Lunæ, post Festum
 Jacobi, prædicti añi, quò provisum, si quandò caussa, ab hoc
 in aliud tribunal superius, vel ad ipsum etiam Cæsarè, viâ
 provocationis, nullò inhibente, perlata, intra annum ver-
 tentem ibidem justâ actione non disceptata, nec rogata in
judiciò hòc provinciali in eam sententia legitimè repressa a-
 mota.

(***) wider des vorgenannten Land-Berichts Herrlichkeit/Recht/Freyheit/
 Brief/ Privilegia und redlich Herkommen sind oder geseyn/ oder
 Ihn die schwächern oder mindern möchten/ daß all und jeglich solch
 Brief und Privilegia/ den Vorgenannten zc. Burggr. Ihren Er-
 ben und Nachkommen/ an Ihren Herrlichkeiten/Rechten/ Freyhei-
 ten/ Briefen/ Privilegien/ und redlichem Herkommen/ und auch
 dem vorgenannten Land-Bericht/ und seinen Freyheiten und Rech-
 ten/ keinen Schaden fügen/ oder bringen sollen oder mögen/ in kei-
 ne Weise zc.

motaq; fuerit, eam qualemcunq;, per Iudicii superioris
 comprobationem, citra labefactatæ partis accitum, ratam
 prorsus & decretoriam habendam esse. Quò cum Di-
 plomate unà, eòdem & annò & die, novum impertitum
 Privilegium, ut vocant, Derogatorium, quò cunctæ Impe-
 ratorum ac Regum Germanorum literæ publicæ, ullâ rati-
 one iudicio huic nostro contravenientes, ac insciis Mar-
 chionibus, ceu Burggrafis, invitisque promulgatæ, cum
 Imperii Ordinum consensu retractantur pariter & abolen-
 tur. Atq; nè porrò aliquandò eveniret, ut subortæ circa
 iudicii sæpè dicti exercitium, Marchiones inter & alios
 Imperii Status ac Principes, fortè dissimultates, labem ei
 aliquam aut sufflamen importarent, liberam Idem felicif-
 simæ recordationis Imperator FRIDERICUS, ALBERTO,
Marchioni & Electori, Burggraffo, transigendi cum quolibet,
 dummodo ne quid sibi præjudicaretur, potestatem fecit,
 literis hac super re vulgatis eòpse annò, die post Nicolai
 anniversarium alterò.

Enim verò, tot præclaris licet ac extantibus maximo-
 rum Imperatorum literis privilegiisq; fulcitum nobile hoc
 Burggrafialis Justitiæ Theatrum, prætereaq; ab Assertori-
 bus Tutoribusve suis Burggrafis omni constitutum æ-
 quitate ac industriâ, non ita tamen firmum erat atq; stabi-
 le, quin, ut res solent humanæ, ab adversâ nonnunquam
 forte impulsus, ruinam aliquando conciperet vicissimq;
 ederet. Quod cum primis contigit, cum concussâ Bavaricis
 tumultibus Norgaviâ, inauspicatis *LUDOVICI* auspiciis,
 bonæ quævis, ut in bellis amat, res & constitutiones pes-
 sum irent; quibuscum ipsum Iudicium pariter collabefa-
 ctatum, in pulvere diu atq; fordibus jacuit: usq; vò in
 levamentū ejus adproperans idem FRIDERICUS *Augustus*,
 è ruinâ, inquam confederat, istud revocavit, dum primò
ALBERTI Electoris filiis, *FRIDERICO & SIGISMIUN-
 DO*,

DO, Marchionibus, tanquam Judicii sæpius allegati Præ-
 fidibus hæreditariis, singulari mandatò, consignatò Göp-
 pingæ, die 6to Decembris, anni clò CCCC. LXXXVIII mi,
 severè ac Imperatoriâ prorsus gravitate (9) injunxit, ut
 continuò isthoc tunc convulsum & prolapsum, ad avitæ
 habitudinis elegantiam, pro virili sua repararent, rectis-
 simeq; porrò percolerent; quando præter voluntatem
 suam illud & oppressum pridem conticuisset, & sublatum
 eò usq; ac inutile frigeret. Neq; hoc contentus, illico
 eòdem illò simul annò ac die ac locò, ad omnes Imperii Sta-
 tus publicatò edictò, qvò mille marcarum auri pondo in
 pœnam eis statutò, qvi impedire istam Illius instauratio-
 nem temerariò ausu præsumsissent, pristino suo usui ac vi-
 gori Id restituit.

Hòc mòdo in antiqvu[m] qvadantenus reformatum ha-
 bitum ac restabilitum, *Provinciale hoc Judicium*, ad *CAROLI*,
 nomine Vti, re ac gestorum magnitudine primi
 maximiq;, Imperatoris Rom. tempora, sine memorabili
 perduravit offensâ. Hoc autem rerum summam tenente,
 plures iterum circumstare isthoc, ac structuram ejus im-
 pellere, unaq; alia Marchionum labefacere jura, qvin &
 tollere prorsus ac calcare, nulli sunt reveriti. Quorum
 oppi-

(9) Verba mandati ejus hæc sunt: Wir Friderich 2c. 2c. als das Land-Ge-
 richt des Burggraftums Nürnberg/ das Unser und des H. Reichs
 ist 2c. nun etliche Jahr/ ohne unsern Willen nieder gedruckt/ und sei-
 ner Übung in Ruhe gestanden; Das Uns/ als Röm. Kaisern nicht
 gemeint ist. Darum so empfehlen Wir Euch/ von Röm. Kais. Macht
 Vollkommenheit/ und aus eigener Bewegnis / ernstlich und vestig-
 lich gebietend/ daß Ihr/ als erbliche Richter des vorermelden Land-
 Gerichts/ dasselbe wiederum/ nach seinen Freyheiten/ aufrichtet/ be-
 setzet/ und in Übung bringet un haltet/ wie es jemals gewesen ist. 2c. 2c.
 und damit in keinen Weg länger verziehet/ bey Vermeydung unsrer
 schweren Straff und Ungenad: Dann wir Euch darbey gnädiglich
 handhaben wollen. Daran thut ihr Unsere ernstliche Maynung. 2c.

oppidò injustis ausibus, cum Burggraffi tunc superstites, *CASSIMIRUS* & *GEORGIUS*, fortiter obnitentes, coram Cæsare super istis expoſtularent, Ejusq; flagitarent opem atq; poſcerent ſuppeticas, hæce juſtiſſimus Imperator maturare nullatenus deſtitit, promulgatò *Wormatii*, in ſolenni Principum conventu, novò quòdam Programate, datò die 14tò Aprilis, anni cl. Io. XXI. quò non modò cunctas Marchionum prærogativas avitas, & inſignia dignitatum præſcriptionesq; , ac præſertim inveteratam hujus Dicasterii vim & præſtantiam, efficaciter ſubſtruxit; ſed & præterea ſingulorum Imperii Statuum immunitates, quaquâ ratione à Suis in Imperio Antecæſſoribus Auguſtis conſequutas, adverſâ cum his præliantes fronte, unò veluti ictu jugulavit. Cumq; eòdem tempore, coram eodem illo auguſtiſſimi nominis Principe, iidem Burggraffi, ſeorſumq; *CASSIMIRUS*, vehementer de nonnullorum quererentur pervicaciâ, quâ ſuorum Dicasteriorum judicata ſuſquedeq; habentes, executionem omnem dedignarentur; idq; ex eò, quòd nullam compellandi vim ad eſſe ſibi intelligerent; ac iccirco maximopere rogarent, ut quando ſine forti adactionis nervò inanis atq; vana omnis haberetur juridiçtio, ſpeciali ſe effrenes ac obtretantes cogendi poteſtate inſtrueret: æquuſſimo pariter huic *CAROLUS* poſtulato annuens, uno fermè mense antè, quàm ſuperius indulſerat, proponi curavit edictum, quò Marchionibus Burggraffis facultatem proſcribendi, cum bona, tum capita eorum, (10) qui ſententias per judicium ipſo-

(10) Verba, quæ prælaudato Diplomati maximum pondus conciliant, hæc ſunt:
 Und mainen/ſehen und wollen/von obberührter Unſerer Kaiſerl. Macht/
 daß all und jeglich Anleit/Acht und Aberacht/Hülff und Execution, und
 andere Gebot/Proceß und Verbot/ſo in Kræfft/und nach Laut dieſer
 Unſerer Kaiſerl. Gnad und Freyheit/ausgehen und beſtehen werden/
 kræfftig ſeyn und bleiben ſollen/zu gleicher Weiſe/als die an Unſerm Hof
 und Kammer-Gericht ergangen/geſprochen und geſchehen wæren.

ipforum legitimè pronunciatas, protervè despectando eludere aut enervare ausint : unaq; eandem nominatim *Judicio Provinciali Norico*, tanquam jam olim familiarem atq; diu usurpatam, amplissimè confirmavit. Quod ipsum edictum, cum ceteris omnibus hæcenus allegatis, ac veluti pertransennam prætereuntibus saltim nobis spectatis, olim in *Judicii hujus nostri ornamentum stabilimentumq;* amplissimè à Cæsaribus perscriptis indultisq;, in *Antigrapho* hîc suo sistere, longissimeq; & ad verbum præire possẽm vellemq;, nisi ante vobis ea, magni *Themidos nostræ Antistites*, penitus perspecta & explorata nossem omnia. Quare ne inopportunâ eorum recitatione tædiô vos quôdam afficiam, insuperq; in tempus peccem atq; vestram patientiam, libens eâ operâ supersedeo : maximè, quòd si quid est in iis ac habetur, quòd communi hominum conscientiaë usuiq; publico suggerendum, id jam olim typis vulgatum, oculis jam familiare sit, ac proinde aurium ministerio, ad intellectum sui & perceptionem, neutiquam indigeat. Ita ergo & tam præstantibus auctoritatum publicarum tibicinibus suffultum hoc *Judicium*, in nostra usquè tempora eleganter vigorem suum protulit, insuperq; habitis multorum machinationibus, jurisdictionem suam, quâ decebat & par erat, sine intermissione exercuit. Quò autem pactò, & quot modis, actiones in hoc foro, tum olim, horridioribus illis temporibus, constitutæ fuerint ac finitæ, tum hodie, moratori nostrò seculò, instrui soleant atquè terminari, quæq; adeò cognoscendi discernendiq; & antiquis usu venerit ratio, & nobis in ibidem valeat, cum notatu dignum ducam, & intellectu non ingratum, diffusiori non nihil relatione prosequi sedet ac exponere.

Duplex olim, quòd ex actis hujus fori constat, de jure invicem experiundi, ac litem contestandi mos in eò modusq; obtinuit; unus *Legalis*, quò nempe ex formulis lege in-

ge institutis & solennibus, impetratâ actione, coram ju-
dice & adfessoribus, in jure litigantes agebant, sicq; res &
causas suas legitimè disceptabant: alter *Cruentus* & *Du-*
ellicus, quò de more superiorum seculorum ac usu, explo-
randæ rerum ac gestorum certitudini, duo se invicem va-
dantes, infestò certamine inter se commissi sunt, quò qui
vicit, tenuisse causam, secus cecidisse eâ reputatus fuit.
Atq; hunc quidem Judicii modum moremq; eadem porro
acta referunt, intra XIII^{ti} & XIV^{ti} seculorum decursum,
quibus omnem occupaverat Germaniam, quin & univer-
sam ferè Europam involverat, huic pariter foro admodum
usitatum & frequentem fuisse. Cujus præterea hanc
ideam, hosq; ritus atq; cæremonias perhibent, ut initiò
quemlibet, qui alterum quemcunq;, & ubicunq; in Impe-
rio degentem, de re quavis aut injuriâ, hoc in Judicio con-
venire, & actione, quam dubiæ Martis aleæ permetteret,
laceffere habuerit, totum lorica tum, atq; insuper manum
gladiò indutū, adfuisse memorent ad Judicium, Judicemq;
& Adfessores poposcisse Advocatum, per quem Nominis de-
lationem in adversarium peragere, atq; ritè causam con-
stituere expeditum esset. Quò impetratò, illicò per eum
de injuriâ ac viâ fact conqvestum, solicitè institisse, ut in-
dictò reus die, per preconem sive viatores, traheretur in
judicium, ac eò coram de postulatione sua haberetur quæ-
stio: Cui suæ petitioni minaces quasdam in adversarium
solutum fuisse addere voces, nimirum se, si fassus ille cul-
pam eâ lite cessisset, ac de justâ sibi cavisset satisfactione,
id lubenter & accepturum, & ad injurias condonandas
promptum; sin contra eam diffisurus, aut causam peni-
tus inficiaturus esset, cæstu ac armatum ejus æquitatem,
cum pernicie illius, se adstruere paratum fore. Hâc ra-
tione, qverimoniâ suâ depositâ, & postulatâ in reum acti-
one, dicam Actorem diemq; sortitum esse. Quem ante,

E ij

quam

quã decreta in delatum fuerit citatio, prius factã sponfione obligatum fuisse, sequeretur expetitum conflictum, neq; genus vadimonii, nisi actione finitã, desereret, aut si aliter fecisset, viginti persolutis Judicio florenis, litem omnem redimeret. Posthæc reum per præconem aut edictõ accersitum; qui cum datõ die præsens nihil illam moratus esset dicam, quin ad dimicandum se parasset contra; utriq; litigantium judicem certum condixisse pugnæ tempus; sin caussando reus suam in arenã eã depugnandi ruditatem imparatum sese excusasset certamini, justas judicem indulfisse moras, intra quas congregiendi peritiam, sufficientemq; armorum usum, utriq; facile esset acquirere. Postmodo, cum destinatus pugnæ illuxisset dies, & ad statutum tempus uterq; se stitisset imperterritus, ambos perhibetur laneõ grisei coloris amiõtu, qui assutã radiaret cruce, & præterea tali commissurã constaret, ut galerõ seu pileolõ cum thorace ac femoralibus, loris aliquot ac ligulis connexõ, unõ & continuõ omnis cohæreret tractu, isq; adeõ ad talos pertineret usq;, præcinctos, atq; insuper peltã de arbore resinosa, & non nihil præferratã, adhæc albõ circumfutã linteõ, rubrãq; insignitã cruce, tectos, manu cœstum atq; contum præferentes, obtulisse vadantes se conflictui. Quem priusquam ambo auspicarentur, tres cuiq; adsignatos adjunctosq; fuisse Viros cordatos, quorum primum (nostro idiomate *den Warner*; latinè *Præstructorem*, fortè dixeris,) congressuro certaminis suggestisse leges, eumq; commonefecisse, ut ingenuum strenuumq; hominem præberet, neq; vel fallaci corporis motu, vel oculi niõtu, vel nutu capitis, aut ullõ deniq; insidiosõ gestu aliõ, adversarium circumventum labefaceret; de ceterõ quiescentem à pugna, siquid voluisset, audivisse, eiq; consilium suppeditasse ac animos: alterum, (populariter *den Luser*, sive *Luser*, latinè *Diribitorem* dicendum,) accuratè intendisse

tendisse pugnae, omnibusq; istius momentis mentem pariter adjecisse atq; oculos, ne quid forte praeter rem gereretur ac aequum; tertium deniq; Disceptorem (qui nostro labio *der Griechwärtel*) ubi visum fuisset, aut Judicii Praefes, tanquam Agnotheta, imperasset, interpositio discerniculio, batuentes invicem divulgasse. Sub auspiciis certaminis obtutum solis, ut & ventum atq; pulverem, ceterasq; pugnandi opportunitates, positas in medio sedilibus, ex aequo in ambas partes distributas; tum spacio utrinq; captio forte, caestu vel conto, prout placitum fuisset, decretoriam confertam pugnam, ac deinceps, ubi depugnatum esset, pro victore latam fuisse sententiam. Locum exercendo Judiciario istiusmodi congressui Noricorum praebuisse *Vadum*, hujusq; vici incolas in id ipsum fuisse auctoratos, ut intimatio conflictu, ad Burggrafiorum mandatum, carceres seu cancellos, intra quos decertaretur, suis sumptibus erexerint, simulque viritim cum aliis milliari, circiter circum habitantibus, cataphractati ac cum hastilibus suis, interfuerint pugnae, jura nempe clientelae Toparchiaeq; Burggrafis pro virili sua asserturi. Si quis conscriptorum sine fontica causa emanisset, eum decem obulorum pondo Burggrafis, mulctae loco, oportuisse appendere. Atq; haec idea violenti illius Judicii, & habendi ejus ratio, haecq; jura illius & solennia feruntur; sicut vetus in id facta quaedam Constitutio ea omnia prodit atque exigit: quae ulterius quoque praecipit, ut trinis actor a iudicibus constitutis diebus judicialibus, Rei, qui semel atque iterum evocatus nunquam tamen sui fecerat copiam, contumaciam per praconem publice redargueret, & amplius instaret, quod ex praescripto & consuetudine hujus fori, proscriptionis in refractarium ferretur, edictum, quo iuribus cunctis, dignitatibus pariter & honoribus, ac ipsa tandem vivendi libertate, actutum exue-

E iij *griechwärtel* retur.

retur. Quod ubi aliquando accidisset, tum judicem de tribunali suo surrexisse, ac sub dium apertò capite progressum, Germanicò idiomate, triste ac ferale, præeunte scribâ publicò, recitasse carmen hoc: Ich nimm N. N. und sein Recht/ Eigen/ und Lehen/ und setze das Eigen in des Reiches Kammer/ und das Lehen dem Lehen/ Herrn / von dem oder denen Sie zu Lehen rühren. Ich verkündige auch sein Weib zu einer Wittwen/seine Kinder zu Waisen/ und theile seinen Leib frey den Vögeln in den Lüfften / den Thieren auf den Feldern / und den Fischen in den Wassern; und setze ihn von allen Rechten in das Unrecht / und nimm ihn aus den Fried / und setz ihn in den Unfried / gegen allermänniglich: und ich versprich ihn hiermit öffentlich in die Kampff-Acht / wie recht ist/ und erlaub ihn allermänniglich / daß niemand an ihn gefrevelt hat/ der ihn angreiff: von Klag wegen / so N. N. wider ihn kämpfflich erklagt/ und erleget hat/ und das nicht verantwortet hat / als recht ist. (II) Qui verborum rigor & horrendi carminis fremitus non illius minus, quasi fulmen, ingruerat cervicibus, qui cum rem deduxerat in judicium atq; adversarium suum publicè de crimine compellaverat, eidem tamen dictâ se offerre die, ac legitime cum eò depugnare protervè detrectabat. Quò casu etiam accusatus adversus denunciante[m] vel delatores suos proscriptionem urgere & impetrare poterat. Promulgatâ verò in hunc modum capitali hâc sententiâ, reo- què aquâ, quod ajunt, & igne, ac ipsius adeò vitæ liberò usu interdicto, nullâ is ullius auctoritate dispensationeq; neq; vel actoris aut judicis emolliti studiò, vel summi etiam intercessione Pontificis, aut Cæsaris indultu, neq; casu quòquam, præter ultimum ac fatalem, in integrum restitui, ac nexu hòc damnationis solvi poterat; nisi, si quan-

(II) Ita hanc horrendi carminis legem, sive banni proclamationem, descriptam aus der Kampff-Gerichts-Ordnung / hujus Judicii accipi- aliam paulò, & prolxiorem truculentio[re]m; exhibet Goldast. Tom 1. der Reichs-Sagung / p. 238.

quando contigisset fortè, ut duo æmuli in Imperio Principes, contra mœnia Francofurti, instructâ utrinquè constitissent acie, & proscriptus, albô tunc advectus equô, in medio interjacentis campi, cum duobus ex utrôq; exercitu delectis, & in se immisissis, cataphractatis equitibus, præfregisset hastas, atq; hujus sui facinoris luculentum reportasset testimonium. Ita enim fieri poterat ut proscriptio ei gratia fieret: sed istâ tamen lege, ut Prætori seu Judici, pro banni censione (12), triginta antè obulorum pondò, antiquæ æstimationis, dependeret, insuperq; conceptis in litem per Deum & Sanctos omnes rursus verbis juraret, tribus sese proximis diebus judicialibus, sine omni tergiversatione, præsto adesse velle ad Judicium, atq; quemvis quâcunq; reatus mole in se ruentem, sive jure, sive armis, excipere promptè, & quod rectum, justumq; sibi esset perhibitum, reverenter habere ratumq; vè. Quam si conditionem explevisset universam, tunc juri suo atq; dignitatibus, bonisq; ac rebus singulis, honori item ac famæ, plenariè per Judicem iterum eum oportebat assertum. Atq; hæc omnia ex tenore & præscripto prælaudatæ veteris illius Constitutionis Duellico-Judicialiæ, ex quâ hæc ipsa de primô & cruentô isthòc cognoscendi statuendiq; modò, in hâc nostrâ contentionum palæstrâ olim obtinente, protulisse sufficiant.

Jam, quod alterum litigandi experiendiq; in hòc forò modum concernit, is actione constabat legitimâ, hoc est legibus alligatâ, & ex Jure descendente, qualem vulgò *Processum*, eruditè *Actionem legis* indigitant. Cujus ea ratio atq; forma fuit, ut si quis alterum convenire, & de rebus tam civilibus, quàm criminalibus, postulare habuerit, id oblatione fecerit libelli, quem vocant, accusatorii, quò per Procuratorem de more insinuatò & exhibitò, instabat

actor

(12) Für den Acht-Schag.

actor petebatq; , ut emissâ citatione in Judicium accerferetur adversarius, sibiq; legitimè cum eò agendi fieret copia. Quæ si facta à iudice & condita, pariterq; reus edictò accitus scriptâ die fuerit præsto, paratus accipere actionem, & injure tendere contra; partes inter se commissæ, ac sive scriptò & libellis, sive verbis ac coràm remgerent, utrinq; auditæ, perceptisq; querelis Processus ad præscriptum agendi rationis tenorem, legumq; civilium & pragmaticarum Imperii sanctionum exigentiam, constitutus & pertextus fuit; usq; dum in aliquò (13) confesuum iudicii generaliori solennioriq;, quales quatuor omnino per annum celebrantur hic ac frequentantur, ponderatis probè causæ momentis, secundum acta & probata pronunciatum fuit. Qualismodi actitandi conflictandiq; disciplina in hæc nostra usq; tempora mansit, hodieq; in hoc foro frequenti viget usu atq; unicè attenditur. Quod si verò evenerit, ut sive literis evocata, sive denunciatione conventa, pars adversa, sui præsentia facere detrectaverit, vel si semel atq; iterum dicto quidem audiens in iudicio præsentaverit sese, tandem tamen, ubi vacillare causa cæperit, eam deseruerit, atq; subterfugerit vadimonium; tum ad morigeræ partis flagitationem, proscriptionem in contumacem constituere & expromere certum fuit. Quæ ne imprudenti, nec præmonito dum, ingrueret, eundemque ex improvisò feriret ac pessundaret, prius affirmata ei est ac intimata: tum cum nihil ita territus, in pervicaciâ illâ perstitisset reus, neq; emanendi consilium aperuisset ac necessitatem, quin obstinatè magis ac magis indurasset arcesitus; iterato in eum publicatum est edictum, quò denuò ipsi imperata comparitio; nempe ad videndum se incidisse in pœnam Banni. Quam deniq;, ubi & hæc profectum parum, proscriptio ipsa indubitatò consequuta est.

Cujus

(13) An den hohen Land: Gerichten.

Cujus promulgatio extra mœnia *Norimbergæ*, dum Judicio sedem hæc adhuc præbebat, destinatio quidem in locò, sub què diò, atq; certis cæremoniis peragenda erat; quarum hæ præcipuè, ut judicii Præses, sub nudò axe stans & in apricò, inquè eas ora plagas obvertens, quibus Rei lares collocatos intellexerat, horrendi eam carminis legem, iisdem penè, quibus suprà, in violentæ illius judicandi consuetudinis expositione, eam allegavi, verbis intonuerit. Atq; talis proscribendi vis & observantia hòc in forò hodiernum calet vigetq;. Neq; ita diu est, quò in præfractos quosdam è Nobilium, immediatè Imperio subjectorum, censu destinata ea & directa fuit; mox & emittenda universa, nisi vel moram ii purgando culpam eluissent, vel aliorum intercessionibus liberali causâ restituti fuissent, vel multatitiò deniquè ære labem imminentem redemissent. Interim satis exemplorum in fastis hujus Curia suppetit, unde facile est ostendere, non in vulgus modò hominum & plebeios, verùm & illustres personas ac Imperii Status, & præsertim urbes liberas, istam vim & potestatem à judiciò hòc exertam usurpatamq; esse; idq; gravi laborantium incommodò, dum afflictis eâ perstrictisque, frustra Cæsarum in clamatâ ope, Aulæq; atq; Camerae sollicitatâ auctoritate, tam diu sub cultrò, quod ajunt, versandum fuit, usq; quò & cum adversâ ipsis parte convenerit, & pœna pervicaciæ Marggrafis, ceu Burggrafis, justa atq; debita, fuerit exsoluta. Id quod *Augusta Vindelicorum*, *Buchovia*, *Campodunum*, & aliæ, suis cladibus plus satis comprobaverint.

Ceterum qualiscunq; litem dirimendi conveniendiq; in hòc forò è duabus illis usitata ratio, à procurrentibus in *Judicium hoc Provinciale* suscepta in itaq; est, ea cunctos, qui alterutram subiere, consequuta est immunitas, ut quamdiu sub his iudiciis lis pependit, à nullò magistra-

F

tu ac



tu ac Judice aliò, super istâ compelli coerceriq; potuerint :
 idq; de veteris privilegii, à Cæsaribus perhibiti assertiq;,
 maximè omnium *CAROLO Vto* adstructi, cujusdam te-
 nore, qvò provisum est cautumq;, ut si quando adversò
 infamatus rumore quis, aut de atroci apertè postulatus
 crimine, ubicunq; etiam in Imperiò locorum coluerit,
 amoliendæ culpæ & infamiæ ergò, propulsandæq; adver-
 sæ partis violentiæ, ad judicium hoc confugerit, inibiqvè
 vel pignoribus seu fatisdatò, vel personis, tanquam præ-
 dibus, caverit, sese nempe, nisi innocentiam suam atque
 causæ bonitatem, adversus interpellatorum, quotquot
 fuerint, atq; petitorum incursiones concusionesq; satis
 fortiter sustinuerit, atq; jure deniq; evaluerit, damnum
 quodvis factum resarciturum, ac præterea noxam omnem
 ac impensas præstaturum fore; is ponderatis causæ cir-
 cumstantiis, & excusis actionis ejus momentis, publicâ
 impertiretur securitate, atq; accedendi actitandiq; liber-
 tate communiretur: tum proclamata, ut vocant, in loco
 domicilii publicè affigerentur, ut res omnibus sic testata
 redderetur atq; manifesta. Cujus proinde beneficiò
 privilegii adhuc dum nulli magistratum, sive exterorum,
 sive loci ejus ordinariorum, in reum qualiscunq; criminis
 aut delicti insimulatum, præterquam publicâ & Impera-
 toriâ relegatione exturbatum, advertendi statuendiq; po-
 testas est; usq; quò negotium in judiciò hòc sufficienter
 excussum, ac super istò pronunciatum est. Qvod si ergò
 diffamatus, vel appellatus de crimine, sive testibus, sive ju-
 ramentò, si defertur quidem hoc ac imperatur, in Judiciò
 hòc, ut culpâ illâ vacet, rite adprobat, ac in fontem adeò
 præstat se ac sceleris purù; absolvendus à reatu est, famæ-
 qvè atq; bonis per omnia & ubiq; suis reddendus: sin per-
 actus reus ac de crimine convictus, accedendi abiendiqvè
 illâ libertate, primò impertitâ, exutus, illico iterum ordi-
 nario

nario Magistratui puniendus remittitur. Nisi quod in Norico districtu, concurrente Burggrafiatus territoriô, etiam manus fontibus hoc *Judicium* injicere, eosq; fugitivos ad Urbis portas usq; insequi de Jure valeat soleatq;. Olim sub horundem malefamâ sauciorum ad iudicium hoc ap- pulsum (14), unum alterumq; speciatim observare con- suetudo ferebat; quod hodie facescit, dum reo cuilibet, injuriosè alibi habito, & acerbiùs redargutô, in cõsvetis Ju- dicii confesibus, integrum est adcurrere, neqvè amplius quicquam in eum licet, ut primum cancellos, quibus à ju- dicibus dum confessum est, prehenderit, nec inde abstrahi potest ullâ vi ac duci potestate: quin è vestigio ab Acto- re ordinariô, sive Interesse, ut appellant, Advocato, vulgo Immissore, (*dem Anleiter*) querela ipsius in frequenti Senatu deponenda, & de liberè commeandi facultate à iudicibus exigenda cautio, ulterius patrocinium causæ suscipien- dum, ac deniq; innocentia afflicti modis omnibus asseren- da tutandaq; est.

Atq; hæc quidem de *Judicii Cesareo - Provincialis Nori- ci* juris dicundi ratione duplici, & adjunctis præterea ei immunitatibus atq; privilegiis amplissimis. Jam quas- gentes Germaniæ nationesq;, quot & provincias atq; ur- bes Imperii, forum isthoc seqvi, suasq; istò ferre controver- sias antiquitùs oportuerit, hodieq; solenne sit; id verò presius aliquantò definire, tametsi haud carere noverim, difficultatibus, uti quod pluribus asperatur contentioni- bus, attamen cum magni interesse ad *Judicii* hujus digni- tatem & splendorem, ac vel maximè curæ pretium existi- mem, facere neqveo, quin id ausim promptè ac adgrediar. Quare ut quod prætervehere integrum non est, tantò re- tius obeam, subinferendum statim est, quod supra ali- quoties

F ij

(14) Bey dem Einlauffen der Inzichter / welches durch eine sonderliche Verkappung geschehen.

quoties jam insinuavi, nempe *hunc insignem Legum ac Justitiæ fontem*, universum, quâ patet, Imperii Germanici Orbem, ipsis summis ejus derivantibus Arbitris ac Principibus, quondam inundasse, atq; universalem adeò & toti Imperio extitisse communem. Qualismodi hodienuum etiam certâ ratione habendum hoc Judicium putandumq;. Nam uti Tribunalis hujus constitutio atq; moderamen ad Ipsos olim Imperatores pertinuit, & à nudò Ipsorum nutu pependit; quod per antè allata palàm est, rerumq; memorias longiùs revolventi clam esse nequit: ita dum per manum Istud tradere cœptum est, ac inter Principum patrimonia connumerare, augustissimus ille Imperatoriæ auctoritatis fulgor, & consequenter illimitata reddendi juris facultas, tam in civilibus, quàm in criminalibus, unâ in eas commigravit familias, quibus de Cæsarum indulgentiâ & favore clementissimè istud contigit. Quod ipsum *Rudolphinò illò Infeudationis Programme*, in Extractu suprâ suò relatò, extra dubium ponitur, uti quò solenniter statuitur, *Burggrafios Norimbergenses*, tanquam *in perpetuum investitos*, ut sic dicam, *Dicasterii hujus Directores*, vicem IPSIUSMET SACRATISSIMI IMPERATORIS in eò reddentes, omne judicium judicando terminare. Quæ certè verba, sicut nemo sanæ mentis inania duxerit ac devento, ut clarissimus Ictus, quem jam antè indigitavi, loquitur; ita hoc cum primis dubiò procul important, quòd uti Vicarius omnis sive locum tenens ea cuncta potest atq; præfert, quæ is cunque, cuius vices gerit, alias valet sistitve, iisdemq; quoad actum illum prærogativis effulget: ita & Burggrafii, augustissimarum ejuscemodi vicium splendore illustres, æq; latè judicent, atq; Imperatorum perhibendæ Justitiæ potentia per Imperium diffunditur. Nequè fecius, ut verborum illa universitas, quibus *omne judicium judicandi concessa potestas est*, omnino nihil

nihil facit reliquum, quod spatiosô suô non concludit am-
bitu, tam quod ipsam juris usurpationem, quàm quod
amplitudinem caussarum, personarumq; infinitam varie-
tatem concernit; ut æq; Principes, Comites, Barones, No-
biles, integrasq; Imperii Civitates, quàm plebejos ac ex-
tremæ sortis homines, indeterminato illi subdat arbitrio,
judicioq; subjiciat: ita exercendæ isthæc jurisdictionis
vis & efficacia non arctioribus circulis definienda sit, quàm
ipsa controversiarum actionumq;, judiciorum item atq;
Tribunalium, in Imperiô ratio explicata intelligitur: ut
ita solennium illarum literarum tenore, tot investituris
iteratô ad verba & de novô confirmatô, sacratissimisquè
Imperatorum roboratô manibus & sigillis, immediatam
atq; nullis circumseptam limitibus, judicandi potestatem
Burggrafis nostris concessam assertamquè nemo non per-
spiciat. In hoc oculos citra dubium intenderunt *Reviso-
res illi inclyti*, qui in arduâ illâ adversus Marchiones nostros
actione Noricorum Revisoriâ, annô cl. Io. LXXXVII, die
tertiô Julii, decretoriam illam peregerunt sententiam, dum
in allegatione momentorum ejus inter alia perhibuere:
*Burggrafis Norimbergensibus Jurisdictionem universalem
mediante horum judicio Cæsareo - Provinciali, ita esse
concessam, ut vice Imperatoris in Judiciô dictô præsideant, omne
judicantes judicium, & sic eandem omnino jurisdictionem exerce-
ant, quàm ipse Imperator, sitq; unum utriusq; Tribunal* (15).

Deinde & palam est atq; pervulgatum, Judiciii hujus
celebritatem atq; reverentiam, olim non ut hodiè aliqua-
rum saltim ditionum finibus conclusam, sed latisimè spar-
sam effusamq; fuisse: quandoquidem huc non *Noricos* sal-
tim & *Francones*, cum ipsis *Bavaris, Sævis & Rhenani tra-
ctus*

[15] Quæ verba habentur apud Adrian. Gylm. Tom. 1. Symphor. Suppl.
Cameral. p. 3. vot. 23. num. 45. 46. ut & ap. Thilemann. A. Benign.
Decis. Cameral. Syntagm. 2. Decis. 4. vot. 3. itid. n. 45. 46.

Aus incolis, sed & longinquos ac maritimæ oræ cultores, in-
 jus ita se certum est. Sic ex Archivis hujus Curiaë & innu-
 meris in eò actorum documentis, promptum est cognosce-
 re, Status ipsos Imperii ac immediatos, quos appellant,
 ejus Nobiles, horumq; subditos singulos, in contentione
 hic stetisse, atq; tam activè, quam passivè, tam in causis
 primæ, quam ulterioris Instantiæ, in Realibus æquè ac
 in Personalibus, & tam in civilibus, quam criminalibus,
 per modum consuetæ purgationis, invicem expertos es-
 se. Ita & ex iis palam est, amplissimas Imperii urbes,
Ratisbonam, Augustam Vindelicorum, Nördlingam, Suevorum
Halas, Gemundiam, Dünkelsbüblum, Dona-verdam, Druso-
magum, Campodunum, Rhotenburgum ad Tubarim, Noriciam
sive Weisenburgum, Windshemium, aliasve plures, eò suas con-
 tulisse lites, ac de Jure inibi cavisse. Quin & *Lubecam*,
 principem Anseaticarum, isti olim obnoxiam adstrictam-
 que fuisse, testis singularis est relatio, quæ annò Seculi
 XVti sexagesimò nonò proscriptionis eam fulmine ab judi-
 cio hoc afflatam prodit & percussam. Unde certè liquet,
 consuetudinis olim inter nationes has urbesq; extitisse
 haud incelebris, huc agendi ergò convolare, suasq; affer-
 re causas, & apparere quæstionibus. Ast vel solam
 ejuscemodi consuetudinem Jurisdictionis fundamenta
 complecti, eandemq; affirmare ac tribuere, jura ipsa a-
 pertissimè decernunt, uti quibus consuetudo in materia
 Jurisdictionis, ex se ipsa luculentum ejus argumentum
 præbet; quando origo, forma ac principium omnis Juris-
 dictionis illa ipsa reputatur. (16) Quin quòd plus hæc
 possit quam *præscriptio*, aut ullius gratia Principis, alteraq;
 censeatur natura & naturæ sanctio: præsertim si à remo-
 to flu-

(16) Wesnbec. quæst. 95. 23. Gail. observ. I. n. 18, & obs. 57, n. f. Klock.
 de Contrib. c. 20. n. 87. & seqq.

tō fuit ævo, ad quod nulla hominis aut ætatis ulterius
 pertingit memoria; quæ omnino rationi æstimanda con-
 grua, neq; ullâ probatione in contrarium evertenda. Ne
 quid de communis Juris præsumptione, tot ex actibus
 possessoriiis, quorum nemo facile numerum ineat, pronô
 dimanante alveô, atq; aliis cunctis, quâvis dignitate emi-
 nentibus argumentis efficaciter resistente, hic in medium
 afferam, quam & ipsi suprâ honorificè allegati *Revisores
 Spirenses*, Imperiali huic Jurisdictioni, nullis territorii
 circumscriptæ limitibus, sed universaliter se habenti,
 quoad diversas Imperio subjectas provincias, patrocinari
 & agnoscunt, & disertè profitentur (17). Nec ad genui-
 na jam relabar ejus firmamenta, Cæsarum privilegia, au-
 gustissimis instructissimisque rationibus, & cum clausulis
 Casatoriis, ut vocant, solemnissimè perscripta indultaque,
 quibus omnium enervantur prærogativæ, diluuntur ex-
 ceptiones, abolentur prætextus, & tandem quæcunq; in-
 ficiuntur inñuitates, quæ quôcunq; modô *Tribunalis hujus*
 dignitatibus derogant, aut vigorem ejus minuunt affli-
 guntque. Quæ omnino pondera argumentorum & effica-
 cissima rationum momenta, hoc *Judicium Cæsareo-Provin-*
ciale Noricum, ab impropertâ à nonnullis Ei Singularitate,
 in illimem ac immediatam Communitatem præclarissi-
 mè vindicant, ejusdemq; Jurisdictionem extra *Marggra-*
fiorū Brandenburgicorum territorium in aliorum quoq; Prin-
 cipum ac Imperii Statuum ditiones potentissimè inferunt;
 neq; minùs efficiunt, ut cum *Serenissimi Marggrafi illi*,
 ceu hæreditarii istius Administratores, non *Suo* Ipsorum,
 sed solenni *Imperatorum locò atq; nomine*, actiones quaslibet,
 ubicunq; natas conflatasq; terrarum, ac per solitæ purga-
 tionis modum huc adductas, mediante Adsesorum in ju-
 dicio

(17) ap. Gylmann, l. c.



dicio hoc cognitione & arbitriô accuratè expendunt, ventilant, judicant, atq; terminant; non sententiæ modò latæ, ut Cæsareâ promulgatæ auctoritate, reverenter habendæ ac irrefragabiles, sed & actus omnes explicandæ Jurisdictioni illi necessarii & consueti, qualismodi sunt, eundi redeundiq; libertatis, seu salvi conductûs, reis facta impertitio, publicatio proclamatum, inquisitio gestorum, instructio commissionum, examina testium, publicatio sententiæ, absolutio à reatu, bannimenta, & similia, neutiquam pro Istorum singularibus, sed Ipsorum Imperatorum propriis solennibusque, de jure censendi sint & suspectandi.

Quæ cum ita expedita sint & obvia, ut vel cæcus ea palpet agnoscatq;, non immeritò hic miramur, omni ferme ævô malè extitisse consultos, qui vel indignatione aliquâ commoti, vel obtrectandi œstrô perciti, vel aliò tandem pravô agitati studiô, nihil non moliti sunt, quò præstantissimi hujus Tribunalis vim & florem seu attererent, seu infringerent. Quorum omnium memorare contentiones, explicare strophas, confutare logos, & avertere, insultationes, in præsentiparum attinet. Enim verò istud arbitror referre, familiarem multis coarguere errorem, quò sinistrè persuasi hoc *Judicium solenne*, pro Communi ac Imperiali habere detrectant, eò quòd non nudè *Cæsareum*, sed cum appositione, *Cæsareo-Provinciale*, vulgò audiat. Inde enim liquere contendunt, uni certæ destinatum id provinciæ esse, atquè solius Burggrafialis soli finibus terminari concludique. In quò quantopere fallantur, ex allatis asserationum momentis in proclivi est conjicere, ut quæ signis omni luce clarioribus evincunt, neq; eam Imperatoribus, cum instruerent hoc Judicium, ac deinde sæpè restaurarent, adfuisse mentem; nec tot seculis frequentatam, huc ex omnibus Germaniæ

niæ angulis cum querelis advolandi, hoc tulisse consuetudinem, ut uni saltim atq; certæ Imperii Provinciæ ita destinatum & impositum feratur, ut hujusdem finibus penitus coarctetur, nec extraneis etiam caussis vacare, & in alias quoque regiones vigorem suum proferre, ipsi integrum sit & liberum; sed contrarium potius pertendisse, ambas, nempe ut commune illud omnium in Germaniâ oppressorum civium asylum, atq; universale juris quasi quoddam Theatrum clueret, quod necessitate huc compulsis facilem præberet aditum, infontesq; tueretur foveretque. Sed tamen nè otiosa illa arguatur appellatio, equidem tenendum est, *judicium hoc Provinciale* isthòc insigniri nomine, quia nobile quoddam *Norici districtus* Adjunctum, & *Provinciale* veluti *decus est*, peculiareq; *Burggrafiorum Noricorum Regale*, utpote in feudum traditum, ac perpetuâ infertione in eorum terras insitum, ut adeò in monumentum memorabilis hujus dedicationis infertionisque, neq; minùs natalium ac domestici soli designationem, hoc agnomen ei olim adinventum & hucusque retentum sit. Unde sanè apparet, infeliciter argutantium sic occentum, meram vocis captationem, ac immatutum ejus interpretamentum esse, quod nehili officiat, quò minus Tribunali huic sua constet Universalitas, idq; in omnes Imperii provincias atq; incolas jurisdictionem suam efficaciter exercent.

Ubi tamen diffitendum non est, *plures Statuum Urbiumq; Imperii liberarum*, ac cum primis propè incolentes, & Franciconici Circuli congregales, Burggrafialis hujus Curia vincula seu laxasse quodammodò, seu omnino exuisse: quamquam non vi & factò impetu, sed bonâ Burggrafiorum veniâ; quæ verò magnò multis constitit. Cum enim viderent Status illi, se Diplomatis, à Cæsarum Aulis, avertendæ Tribunalis hujus cöercitioni, sibi comparatis,

G

non



non ita proficere, ut nullæ amplius ei vires in se agendi decernendiq; suppetant; alias circumspicere vias cœperunt, quibus commodè inde sese extricarent: quod & consequuti sunt, dum cum Marggrafis quilibet partem suam depecisci, & conventionem quâdam hinc se expedire fategere: quas ad pactiones non invitati etiam Nostri ierunt, ut qui consultius credebant cedere multitudini, & id cum fructu quidem aliquo, quàm odiosam isthanc diu trahere scaperdam, atque temporum malignantium injuriis molestè circumagi: maximè factâ sibi liberè cum quibusvis transigendi potestate, à felicis memoriæ Imperatore FRIDERICŌ IV. publicatō programmate, sub Dato Neostadii, feriâ quintâ post Nicolai, annō cio. cccc. LVI. Cujus etiam suprâ mentionem injecisse me recordor. Atq; tali pactō ē Judicii hujus nervō exiere plenissimè *Bojariæ Duces*: ceteri autem Status, quibuscum conventum est, non ita absolutè & per omnia dimissi, sed in certas saltem conditiones relaxati, certosq; casus & eventus asserti sint. Quâ ratione *Episcopatus Bambergensis* hinc emerfit, ut qui certō modō hodiernum istō tenetur; id quod annō cio. io. XXXVIII. utrinq; inita & descripta conventio disertè fatetur. Ita quæ annō cio. io. XXXVII. cum *Eichstadiensi* Episcopo facta compositio, perhibet, hunc ipsum cum subditis suis singulis, atq; insuper civitates ejus omnes, itemq; vicos atq; arces, mœnibus vel vallibus septas, juxtâ cum incolis ac eorum bonis, istō pertinentibus, quantum agrorum civitatis cujusq; aut vici metarumq; prolixitas disternatur, personalium quidem, & realium conventionum exsortes haberi; at in compellationibus *Universitatem*, seu *Communiones* incolarum concernentibus, adhucdum eos judicii hinc periculum præstare debere. Ita pariter actiones atque servitutes reales, in pagos viculosq; rurales, nullis clausos muris, neq;

neq; minùs in subditos, extra mœnia urbis & vicorum incolentes, quin & quemlibet in civem fractæ pacis publicæ reum, constitutas, rectè hùc accersi, atq; inibi ventilari finiriq;ue.

Pari ratione *Civitates* quædam, è superiùs intimatis, *Imperiales*, singulari se expedivere transactione, nimirum, quâ interventu *Heinrici Marschalli de Pappenheim*, Cæsaris Comissarii, in certum pactum lytron est, quò persolutò eæ arbitrio suo permisæ, & è jurisdictione isthâc veluti manumisæ sunt: hóc tamen reservatò, ut si actio aliqua judiciaria per illarum Civitatum Curias fortassè neglecta, intra spatium senarum septimanarum non terminaretur, liberum foret litigantibus hùc eam deferre, ac de jure experiri hìc; uti ex *Instrumentò*, ut vocant, Domini cã pridie Antonii super pactum istud excitatò, promptum est cognoscere. At quod *Norimbergam*, atq; ei vicinum *Windshemium*, concernit, quoniam ambæ hæ Burggrafiali ambiuntur territoriò, cui *judicium hoc Cæsareo-provinciale*, prout suprâ retuli, ceu Adjunctum aliquod individuum, æternâ insertione incorporatum est, res longè habet feciùs. Quæ enim aliunde, ex singulari ratione denegatæ Justitiæ, vel difficultatis conveniendi, eò devolvuntur, caussæ, *per modum institutæ purgationis* saltim illic sistuntur, fontesq; sive non purgantes se, indemnes eatenus discedunt, ut aut propriæ infamiæ relictì, aut ordinariorum Magistratum animadversioni permisì dimittantur: at quæ in *Noricò* lites invalescunt *districtu*, terminantur ita, ut *Serenissimis Marggrafis*, concurrente Burggrafiali territoriò, reos ad Urbis usq; portas insequi; quin apprehensos abstractosq; multæ aut supplicio subicere; innocentes ex adversò contra Urbicorum, & quorumvis aliorum, persecutionem tueri, jus fasq; sit: datâ etiam actione injuriarum pœnali contra deficientes oppositores.

G ij

Et

Et tamen *Norici*, celebri illâ *Compositione Harrensi*, de annô c10 XCVI. quoad *personales compellationes*, à Judicii hujus jurisdictione eximantur; attamen *Revisorum* sæpè laudatorum censitione extra aleam ponitur, (18) etiam hos adversus *in criminalibus*, per modum purgationis, in causis item hæreditatum, in omnibus realibus, in causis finium publicorum, & privatorum fluminum, in omnibus causis possessoriiis, & aded in cunctis servitutibus realibus, *extra urbis mœnia* constitutis, per eandem transactionem hodiernum huic locum esse iudicio, idemq; agere validè & rectissimè.

Jam quemadmodum præter intimatos hosce in certa pacta & conventa susceptos confectosq; Tractatus, nulli amplius, quantum mihi constat, superant: ita *Marggrafi nostri excelsissimi* vniuersali ceteroqui & illimitatâ, per Judicii hujus eminentiam auctoritatemq; juris prohibendi facultate præstant, quam & in Status Imperii Nobilesq; immediatos, eorumq; subditos, omnes atque singulos, quoties res & occasio ita fert & exigit, incunctanter exerunt. Et tamen ab unô alteroq; Statuum, Comite atq; Nobili, huc in jus vocatô, detrectata comparitio, & super fori competentiam exceptum, unaq; Judicii hujus vis & efficacia elevari occœpta; atq; ubi de competentia transactum pronunciatumque, oppidò ad *Cæsaris Aulam*, vel *Cameram Spirenses* provocatum fuit: ab his tamen ipsis *summis Imperii Judiciis hoc Cæsareo-provinciale*, pro vniuersali & immediatô nunquam reputatum non, & honorificè adfertum, ac idcirco causæ, immaturè eò tractæ detortæq;, posthabitis etiam quibusvis Diplomatibus Cæsareis, contra id obtentis, tam labente hóc, quam proximè actis seculis, inde remissæ, & Iudicio huic nostro vindicatæ sunt. Id quod annô c10. 10. LXXVIIIvô. ut
anti-

[18] teste Gylmann. loc. sæpe cit.

antiquiora taceam, in caussa Ordinis Teutonici contra Brandenb: neq; minus eodem anno in caussa *Rhenheimis* contra *Weisenburg*: atq; amplius *Ottonis & Deodorici à Gemmingen* adversus *Gvolfgangum à Knörringen*: itemq; in Caussa *Ernesti à Kreilsheim* contra *Salzburg* & consortes, anno MD. LXXIXno, & novissimè in caussa Comitis *Gvilielmi de Pappenheim* / qui à *Gvolfgango Christophoro à Lentersheim* hòc in forò conventus super competentia ejus excepit, atq; præter immedietatem suam speciale caussando privilegium Cæsareum, in exemptionem sui comparatum, rem ad *Cameram* detulit; eò tamen eventu, ut improbatis his Illius caussionibus, negotium omne à *Camerà* declinatum, & ad Judices hos provinciales remissum rejectumque fuerit.

Enim verò ita hæcce dicta volo accipi, ut nè omne ad *Aulam Cameramq; Imperialem* à Judiciò nostrò appellandi jus abnuere aut inficiari velle videar; ut qui utiq; ambabus largior manibus, & vel nemine poscente concedo, licere litigantibus caussam ex hòc in aliud è duobus illis summis transferre; nihil etiam læsà aut detrita hujus universalitate; quandò hæc cum provocatione stare sine dubiò potest: dummodò ne *Serenissimorum Marggrafiorum* de non appellando privilegiis, temerè ita derogetur. Atque ut quousq; sese porrigant privilegia illa, exploratiùs constet, memorare expedit, talium plura à *gloriosissimis Imperatoribus* impertita esse: quorum primò producendum locò, quod fortissimus Heros, *MAXIMILIANUS I. Imp.* antiquo instaurando Judicii hujus decori vigoriq; atq; novo adstruendo honori, in mediò istius proposuit. Quò non *realium* solum, ut appellantur, *injuriarum*, earumq; *atrocium* cognitionem, denuò Ei confirmavit, sed & certam insuper pecuniæ summam, *Centum exequantem Rhenenses*, infra quam, si qua forte, sive debiti, sive pretii nomine,

nomine, in litem abiret, nemini à Judiciò hoc in aliud
 quaecunq; avocandi caussam, neq; ad se Ipsum appellan-
 di, facultas esset, ei assignavit. Quæ Rhenensium sum-
 ma, etsi pro illius ævi continentia satis ardua & confide-
 rabilis esset, postea tamen, ubi temporis tractu invaluit
 avaritia, creveruntq; opes, & opum furiosa cupido, cœpit evi-
 lescere, ac susq; deq; haberi, unaq; auctoritas Judicii o-
 mnis exolescere. Quod cum *Burggrafi*, hæreditarii jam
Provincialis hujus Curie Parastatæ, maturè animadverte-
 rent, simulq; magni ad illius conservationem splendorem-
 que interesse ducerent, si intimatæ summæ nova quæ-
 dam fieret accessio; salutare inierunt rationes, quibus
 id ipsum ab Imperatoribus, quorum est hæc talia dispen-
 sare, quam citissimè consequerentur. Communicatò ita-
 que cum *CAROLO V.* augustissimo Imperii Augustò,
 sollicitudinis suæ sensu, ambitaq; Ejus indulgentiâ, *Casimi-
 rus & Georgius* Principes, novum sibi *Fratribusq; illustrissimis*
 extricarunt privilegium, datum in *Comitiis Wormatiensibus*,
 annò supra cit. 10. XXIImò, cujus tenore priori Rhenen-
 sium summæ altera tanta major accessit, & adeò litis non
 aliò ferendæ æstimatio ad dupli usq; quantitatem evecta
 est. Atenim, cum indies augescentibus rerum pretiis,
 & assurgente insuper ambitione humanâ, ne ita quidem,
 qui utriusq; Burggrafiatus scepra tunc gerebant, *GEOR-
 GIUS & ALBERTUS*, *Marggrafi*, Judicii hujus dignita-
 ti satis cautum prospectumq; intelligerent, denuò eun-
 dem cum desideriiis suis accesserunt Cæsarem, à quò &
 præclarò iterum maçtati recesserunt Diplomate, perhi-
 bitò Ratisbonæ, 23. Julii, Annò cit. 10. XLI. quò, præ-
 terquam quòd antè constituta ducentorum florenorum
 summa, de quâ quis postulatus aliò appellare nequiret,
 duplò amplius aucta, & ad quadringentos usq; accumulata
 est, seorsum quoq; & de integrò, cunctis litigandi caussa
 isto

istò contententibus, de libero commeatu, sive salvo con-
 ductu, liberaliter provisum est: exceptis, quos publica
 relegatione percussos, vel de fide ac fama laborare, ma-
 nifestò constiterit. His ergò à *CAROLO V.* appellandi
 licentia hòc in forò finibus còercita, iisdem per octogin-
 ta fermè annos se continuit. Quò tempore rursus expli-
 care cœpit alas, ac ultra illos nonnihil provolare: idque
 auspiciò pariter & remigiò *Serenissimi Patriæ Patris nostri*
Avi, re ac nomine *CHRISTIANI, beatissimæ memoriæ*
Principis, Domini quondam hujus loci atq; ditionis sane-
 quàm incomparabilis, & etiamnum desideratissimi. Nam
 cùm pro hodierni seculi tumore ac insolescentiâ præno-
 minata *quadringentorum* summa nondum satis exaggerata
 & adaucta esset, hincq; invenirentur, qui nullâ compulsi
 necessitate, sed vel solâ contendendi libidine, vel caussæ
 trahendæ studiò, vel deniq; elabendi spe ac destinatione,
 facta inibi judicata, si fortè non è re & ad palatum essent,
 protervè dedignant, confestim aliis & altioribus foris
 inveherentur, ac ita appellationes immaturè in aliud ap-
 properarent judicium: quâ protervitate omnino justi-
 tiæ inhibitus vigor, proculcata jura, sufflamminati Pro-
 cessus, parsq; adversa ingentibus, & nonnunquam nepo-
 tinis, onerata sumtibus, vel etiam ad incitas redacta, & in
 forò ac inter caussas miserrimè obtrita, atq; hinc coacta
 fuit, jus cedere alteri, & ex arenâ herbam porrigendo de-
 cedere. Inde factum, ut laudatissimus *Princeps* *CHRIS-*
STIANUS, hos perniciosissimos anteverurus conatus,
 simulque suos injustitiæ incisurus nervos, *Imperatorem*
FERDINANDUM, gloriosissimæ recordationis Augustum, cùm
 suò, tum Patruelium, quos demortuò *JOACHIMO ER-*
NESTO, fratre, in tutelam acceperat, Principum *FRIDE-*
RICI, ALBERTI, & CHRISTIANI, Marggraf. Brandenbur-
gens. nomine aggressus est, & expositis ei omnibus incom-
 modis

modis ac difficultatibus, circa hoc & alia sua in utroque
 judiciò ex illâ provocandi inopportunitate hætenus ena-
 tis, prolatisq; unâ atq; allegatis anteriorum Imperato-
 rum Sibi Majoribusq; suis magnificè impertitis privilegi-
 is, è vestigio consequutus est, ut & vetera illa confirma-
 rentur, atq; insuper conderetur aliud, quò lis duplò æsti-
 mata major, Rhenensiumq; adeò numerus, *ad ipsos octin-*
gentos multiplicatus est: qui hodieq; in iudicando ita hinc
 exigitur, ut infra illum nulla detur provocatio. Cui Di-
 plomati inserta quoq; habentur verba, quæ & in eò, quod
 à *Carolo V.* sanctum supra retuli, habentur, quibus nem-
 pe cavetur, nequis in causa summam etiam definitam,
 excedente, ab hõc ad aliud inconsultis his iudicibus Tri-
 bunal procurrat; quin prius depositò florenò conceptis
 verbis juret, se neutiquam trahendæ litis, aut adversam
 partem obterendi ergò, sed quòd causam suam æquam
 justamque, & hinc omni modò defendendam ducat, in-
 terponere appellationem, hancq; sibi certum esse profe-
 qui, usq; quò legitimè ea disceptata & composita esset.
 Datum verò est novissimum hoc Decretum in Arce Pra-
 gensi, annò hujus Seculi XXVII. die Decembris nonò &
 vigesimò.

Atq; hæc de usitatâ in *iudiciò hõc Cesareo-Provinciali,*
 & concessâ appellandi ratione modoque. Ceterum, quod
Personas, quæ administrando habendoq; ei adsunt, concer-
 nit, duplicis eæ censûs existunt; aliæ nempe *Ordinarie*,
 aliæ *Extraordinarie*. Quod ad *Extraordinarias* attinet, hæ
 solennioribus saltim potioribusque Judiciis confessibus,
 (*bey den Hohen Land Gerichten*) quorum quatuor admodum
 per annum, quod & supra innui, celebrari solent, præsto
 sunt. Hiq; destinantur hinc partim ab inclutâ Francorum
Norinberga, quæ vigore nobilis illius *Tractatus Harrensis*
 hõc speciatim jure gaudet, ut è mediò spectatissimorum
 Senato-

Senatorum suorum duos exercendo istiusmodi confessori
 Adseffores deleget, qui cum ceteris dijudicandis simul ad-
 sunt controversiis, earumq; decisiones sententiis suis ad-
 juvant: partim ab *Illustrissimò Ordine Teutonicò*, qui *Com-
 mendatorem suum in Ellingen & Virnsberg*, in Senatu hóc si-
 mul affessum, quoties usus fert, amandat: partim deniq;
 ex Aulis *Serenissimorum Marggrafiorum, Baruthini* juxtà atq;
Onoldini, quorum quilibet unum è Consiliariis suis emi-
 nentioribus, & equestri dignitate conspicuis, ad concele-
 brandos hos confessus submittit, qui ab Adsefforibus Or-
 dinariis, ac assiduò in Judiciò hóc versantibus, de omnium
 actionum & negotiorum momentis edocti, in medium,
 quid in quâq; re jus fasq;, unà consulunt peraguntq; sen-
 tentias, & solenniter promulgandis coràm adsunt. At
 quantum ad Ordinarios seu assiduos Adseffores pertinet,
 eorum omnis designandi constituendiq; potestas penes
 solos Principes nostros residet, quorum est, Judiciò dare
Præsidem, atq; eum quidem probatæ originis pariter &
 virtutis Equitem, juxtà cum Viris aliquot juris scientissi-
 mis, qui *Adsefforum* nomine ac officiò insignes, consulenti-
 bus responsitant, & enodandis juris laqueis litibusq; ex-
 plicandis invigilant. Quibus *Advocatus* sive Actor qui-
 dam Ordinarius, cum *Scribâ unò publicò*, sive Actuariò, ha-
 betur adpositus. Sub illo quidem tempore quò Tribu-
 nalis hujus moderamen, unà cum Burggrafiali dignitate,
 ab ipsis Summis Orbis Dominis in *illustrissimam Zollerensi-
 um Domum* hæreditariò jure illatum est, atquè idem
 Principes nostros perpetuos accepit Vicarios, (antiquissi-
 mis enim temporibus tralatitium, nequè tam profapiæ,
 quàm personæ erat, potiusq; virtute veniebat, quàm hæ-
 reditate:) non Equitum aut aliorum erat præsidium,
 in eòdem sustinere, sed hanc Principes ipsi obiére provin-
 ciam, istamq; curam suam & potissimam, non aliorum, pu-
 tarunt,

H

tarunt,



tarunt, hincquè sæpius propalam sedentes ejus muneris moderati sunt habenas, jusq; operosè reddiderunt atquè publicè. Quod de *FRIDERICO* I. Burggrafio, octo antè annis, quàm à *RIIDOLPHO* Cæsare investitus fuit, factum monumenta certa loquuntur. Quæ item testantur, *ALBERTUM* I. *Marggrafium & Electorem Brandenburgicum*, utet *FRIDERICUM* III. *Marggraf.* præsentès sæpe huic adfuisse judicio, & eidem præfedis: & *Istum* quidem annò Seculi XVti Sexagesimò quintò, Hunc ejusdem Seculi Octogésimò atq; septimò. Quamvis longè ante amborum tempora, *CAROLUS* IV. *Imper. Burggrafis*, suâ ætate conviventibus, *JOHANNI & ALBERTO*, eorumquè hæredibus, singulari aliquò Diplomate, perscriptò die Veneris, vesperâ nempe Valentini, annò cl. CCC. XLVIII. potestatem fecerat, judicium hoc suum Provinciale, per spectati censûs honestiq; ortûs Equitem, qui ipsorum locò inibi præsideret, administrandi: quod & septem post annis, in ipso Festò Paschatos, Romæ, cum ibidem inauguraretur, amplissimè confirmavit. Ubi tamen reticendum non est, jam ab annò cl. CC. LVIII. ante expressam Cæsarum indulgentiam, sive per horundem conniventiam, sive quòd Burggrafii, Imperatorum domi militiæquè latera claudentes, sæpe peregrè agebant, plures diversorum generum & natalium Equites, ad Dicasterii hujus gubernacula provectos & admotos esse.

Quinam verò & cujates illi extiterint ab iis usq; temporibus, in quæ longissimè cogitationes & memoriam nostram, per annalium sufficientiam, diffundere ac remittere possumus, id in præfenti breviter, & sine omni meritum commendatione, tradere, curæ omnino pretium arbitror. Initium verò plerumquè horum ducitur à *Conrado ab Asch*, qui annum Christi circiter cl. CC. LVIII. Præsi-

Præsidis partes in iudicio hoc sustinuit. Quò subtracto ipse **FRIDERICUS II.** *Burggrafius* habenas illas tractandas suscepit, easquè in Septuagesimum præter propter ejus seculi annum feliciter moderatus est. Reliquum Seculi impleverunt *Otto à Diethorn* & *Rügerus de Brand.* Sequens XIVtum Seculum cæpit in præsidio *Heerdegeni à Grundlach*: quem sequuti sunt *Albertus à Vestenberg*; *Johannes à Vestenberg*; *Dominus Hermannus, Comes & Dynasta in Castell*; *Rapotus de Bühlheim*; *Engelhardus à Thanne*; *Dn. Fridericus, Comes & Dynasta in Castell*; *Conradus à Seckendorf*; *Aberdar dictus*, *Hippolidus de Majenthal*; *Heinricus Schenck à Leutershausen*; & deniq; *Gualtherus à Seckendorf*, qui hanc annorum claudit feriem. At XVtum Seculum hos in hoc Senatu suspectavit Præsides: *Stephanum de Absberg*; *Arnoldum à Seckendorf*; *Aberdar agnominatum*, *Conradum Druchsesium à Pommersfelden*; *Johannem à Wallenroht*; *Gerlachium ab Ebersstein*; *Wiegelum de Wolfstein*; *Gvilelmum de Rechenberg*; *Gvilelmum de Absberg*; *Bartholomæum Druchsesium*, *Johannem à Seckendorf*; *Equitem Stornschatz dictum*, *Sigismundum à Leutersheim*; *Johannem ab Egloffstein*; *Johannem à Wallenroht*; *Eqv. Georgium ab Ehenheim*; *Eqv. Conradum de Eib.* *Eqv.* sub cuius & Sequentium temporibus **ALBERTUS I.** *Marggrafius & Elector*, quod supra etiam indicavi, aliquoties in iudicio hõc versatus ipse Præsidis vices sustinuit. Reliquos in eodem hõc seculõ occuparunt annos, *Hardungus Marschall de Ostheim Eqv.* *Sebastianus à Seckendorf*; cognomine, *Nolt*; *Apelius à Seckendorf*; in *Birckensfels*; *Eqv.* juxta quem **FRIDERICUS III.** *Marggraf- & Burggrafius* aliquoties præfens in iudicio affedit. Agmen autem clausit in hoc seculõ *Georgius de Absberg*; de quò seorsum memoratu dignum duco, eum tanta eruditionis, ac præsertim civilis intelligentiæ laude præstitisse, ut dignus fuerit habitus, cui *Doctoris in utroq; Jure* nomen ac insignia crederentur.

Quibus factus decoribus etiam Martis egregiâ contentione præmia anhelavit, dum in ludis hasticis *Onoldi*, in honorem *ALBERTI junioris*, annô c. 15. CCCC. LXXXV. concelebratis, se præ ceteris strenuum præbuit atq; ita effecit, ut ceu verus Palladis ambidextræ alumnus gnatusque ab omnibus magnifieret, altissimeq; suspiceretur. Subsequenti XVIIto seculô ad id muneris admoti proventiq; sunt *Ludovicus de Lib/ in Liburg / Familiæ Senior, & Eqves, Vitus à Vestenberg, Eqv. Paulus de Absberg / Georgius à Zedwiz* qui an ipse, num ejus gentis alius, quem *Simonem* monumentum quoddam sepulchrale Heilsbronnæ, ubi ossa illius sita asservantur, indigitat, eundemque ut judicem effert Cæsareo - Provinciale, munus isthoc gesserit; sive an duo ex eadem familiâ se invicem in officio isto exceperint, in incertô versatur. Ulterius *Christophorus Schenk/ de Geyern/ Sixtus ab Ehenheim / Eqv. Har- dungus Marschall ab Ostheim / Eqv. Johannes à Seckendorf/ Aberdar dictus, Johannes Druchsesius, Sigismundus ab Hefberg/ Georgius à Streitberg* pariter Doctoratus honoribus inclytus, *Balthasar à Wolfstein / Fridericus à Liedwach/ Dn. Johannes Baro de Schwarzenberg / in Hohen Landsberg / G-wilhelmus à Wisentau / Fridericus ab Holdermannsständen / aliàs Stetner dictus, Matthæus à Wallenroht/ Dn. Adamus à Wolfstein/ Baro in Obersulzburg/ Dynastain Bierbaum/ Fridericus à Lentersheim/ Fridericus à Knoblauchs Dorf/ Balthasar à Rechenberg / Engelhardus ab Ehenheim / Johannes G-wolfgangus à Snörringen/ Johannes Christophorus Giech/ Doctor, Dn. Fridericus, Dynasta in Limburg/ S. Imperii Semper-Liber & Pincerna hereditarius, Georgius à Wahnbach/ Vitus Erasmus de Lib/ & Johannes Jacobus à Berlichingen; omnes Eqvestri sive locô orti, sive dignitate conspicui.*

Instantis autem, & adhuc volventis Seculi XVIImi Orbis nobili admodum exordiô iniit, ductô eô à *Dn. Ebrnicô, Barone*

Barone à Saurau, Marschallò Ducatus Styriae hereditariò: quem sequuti sunt in hoc officio Bernhardus ab Hutten, Fridericus Thomas Senft, Salburgensis, Wolfgangus Philippus Groß à Trockau, Christophorus Sebastianus de Jarheim, Vitus Deodoricus ab Eib, Christophorus Soldanes à Wallenfels, Henricus à Dachenroht, Christophorus Henricus ab Efersberg, Dn. Georgius Dynasta, in Limburg, S. Imperii Semper-Liber & Pincerna hereditarius, Dn. Erasmus in Limburg, &c. Vitus Hector à Streitberg, Balthasar Jacobus à Schlammersdorf, Johannes Vitus Stieber, ab & in Buttenheim, Conradus Henricus à Selmitz; quorum verò aliqui praesertim è posterioribus, non Praesides ipsi, sed eorum Vicem gerentes saltim extiterunt. Interim Viri omnes ab animò & eruditione instructissimi, ac cum primis summi iudiciò, aequitate maximi, jam vitâ omnes cum officio functi. At qui hodiè (19) in hoc splendidò munere versatur, atq; magnâ illud gravitate moderatur & prudentiâ, Virest generosus ac Pranobilissimus, Dn. Johannes Georgius Hofer, à Löwenstein, in Leonberg & Wiedenstein, Serenissimi Principis Brandenburgensis Onoldini, Domini mei clementissimi, Consiliarius intimus ac supremus Aulae Marschallus: cujus Collegæ, ut & hos hortante ita opportunitate concelebrem, cluunt Dominus Dr. Laurentius Fridericus Ströbelius, Adseffor Primarius, Dn. L. Johannes Adamus Drechselius, & Dn. L. Johannes Philippus Baumgartnerus, ambopariter Adseffores spectatissimi: Viri auctoritate atq; eruditione, (ut nunc meritorum in illis apices taceam) ad unum omnes praestantissimi. Quorum

H iij

Ante-

[19] Istò nempe tempore, quò hæc recitabam è cathedrâ: sed quò edo hæc, res altusmodi habet. Abiit enim, ad Superos excedens, Hoferus hæc provinciâ, & in ejus locum subrogatus est, Vir Generosus ac Pranobilissimus, DN. JOHANNES SIGISMUNDUS ab Heßberg, in &c. Sereniss. Principis Onoldini Consiliarius intimus, & Judicis Casareo-Provincialis Praeses eminentissimus; ob natalium splendorem, jurisq; atq; literarum omnium elegantiorum copiam tantò muneri adpositissimus.

Antecessores in hoc splendidò munere, ab annò Chr. cId. Id LXV. extiterunt: *Dr. Christophorus Grösser/ L. Caspar Egel/ Dr. Ambrosius Schlehenrieh/ Dr. Guilelmus Birkel/ Dr. David Hofmann/ Dr. N. Almann/ Dr. N. Kaiser/ Dr. Georgius Auer/ Dr. Johannes Büttner/ Dr. Andreas Frobenius, Dr. N. Stadtmann/ Dr. Matthæus Sangmeister/ Dr. Balthasar Aßensheimer/ Dr. Johannes Schack/ Dr. Stephanus Mum/ Dr. Simon Eisen/ Dr. N. Brandner/ Dr. Victorinus Streitberger/ Dr. Johannes Strebel/ Dr. Johannes Gladenstein/ Dr. Erasmus Hofmann/ Dr. Martinus Eichelmann/ Dr. Johannes Hammer/ Dr. Johannes Baptistä Eisen/ Dr. Laurentius Danner/ Dr. Johannes Hofenstein/ Dr. Georgius Schell/ Dr. Johannes Burkardus Stadtmann/ Dr. Laurentius Ruppelich/ Dr. Johannes Baptistä Baum/ Dr. Johannes Fridericus Germand/ Dr. Hieronymus Rauchbart/ Dr. Georgius Rittershausen/ Dr. Johannes Rüdinger/ Dr. Johannes Georgius Meyer/ Dr. Johannes Christophorus Baumgärtner/ Dr. Johannes Laurentius Rehm/ Dr. Johannes Georgius Maul/ Dr. Daniel Brunner; omnes nunc è vivis & ad superos translati.*

Præter istos verò, tam assiduè in judiciò hóc versantes, quàm per vices saltim advisentes, Viros consulares, obtinet ibi porro *Advocatus*, sive Actor ordinarius, qui & Interesse Curiaë tutatur, & ad Asylum confugientium, ubi liberum, nacti sunt accessum, acceptat querelas, & vicissim deponit; quem præclare hodiè (20), præstat Dn. D. Gabriel Pachelbel à Gehag/ *Consiliarius Brandenburg. &* quod dixi, *Jurisdictionis Judicii hujus, seu pro Interesse, ut vocant, ac ad Asylum confugientium pauperumq; Advocatus.* Atq; tandem *Actuarius seu Notarius* quidam suppetit, qui acta & tabellas concinnat, & conceptiones sententiarum construit; quam hodiè spartam ornat, Dn. *Martinus Caspar Müller/ Consiliarius Brandenburg. & Actuarius Judicii hujus provincialis meritisimus.* Cuius in hóc munere præcessores per tria integra secula feruntur:

[20] quò hæc edo,

runtur: *Ulricus Kuhdörfer*/qui annô cIo. CCC. LI. eas partes suscepit. In cujus locum gradatim migrarunt *Johannes Seerauber*/ *Heinricus Scheerreuter*/ *Johannes im Hof*/ *Fridericus Schrecker*/ *Johannes Ulmer Junior*, *Johannes Ulmer Senior*, *J. U. Lt. Georgius Spengler*/ *Laurentius Schaller*/ *Georgius Deuber*/ *Andreas Dottenhofen*/ *Johannes Tettelbach*/ parens, *Johannes Baptista Tettelbach*/ filius, *Johannes Baptista Tettelbach*/ nepos, *Georgius Engelbrecht*/ *Johannes Bern*/ *Johannes Georgius Bern*/ & novissimè *Johannes Sebastianus Braitschädel*/ *von Pülhofen*. Quorum omnium uti pariter atq; Præsidium Adfessorumq; dudum denatorum, & superius adductorum, vitam ac virtutes, immortalitas excepit: ita quos præfens superstites in *Generoso Dno. Præside*, atq; *Nobilis. Dnn. Consiliariis. Adfessoribus*, *Advocatô* & *Actuariô*, Dominis & Fautoribus meis maximoperè colendis, veneratur ætas, singulos inexhausta precor Optimi Numinis bonitas quàm diutissimè in terris superare faciat, eosq; faustissimis cœptorum contentionumq; honestissimarum successibus accumulæ, atq; tandem omni & animi & corporis beatitate, nullô infelici casu nec impendente, nec impediante, uberrimè perfundat imbuatquè!

Atq; ita, *Auditores inclyti*, me *Judicii Casareo-Provincialis Norici* natales, ejusq; incrementa & robur, prærogativas item atq; privilegia, tum verò reddendi juris formas atq; mores, itemq; jurisdictionis vim & amplitudinem, atq; ultimò jam illorum, qui & rexerunt, & ornarunt isthoc, hodieq; illustant, munera atq; nomina, obiter quidem & in compendiô relata, levi pede obeuntem tradentemq; æquis prosequuti estis auribus. Jam, antequam circa metam sermonis hujus curram agam, paucissima adhuc *de Sedibus* ejus ac migrationibus, haud gravatim, quæso, à me accipite. Neq; enim, id quod palam est, ac in vulgus constat, unò semper & eodem hæsit limine, sed solum subinde vertens, diversis

diversis per Burggrafiatum utrumq; urbibus penates suos posuit. Quarum omnium prima, quæ & id cum nasceretur excepit sinu, & in cunis posito jucundissimè arrisit, *Norimberga* fuit, cujus etiam in complexu adolescens initiò unò eodemque cum reliquis Burggrafialis dignitatis ornamentis & muneribus requievit in castrò (21) sive *Burgò*; diverso quidem ab eò, quod altiori urbis loco impositum, validisq; communitum operibus, usq; hodiè peregregiè se visendum inibi exhibet; tale tamen quod & situ, & splendore isti haberi posset proximum. Hoc divenditò, *Ægidianum* subiit Collegium, quò tam diu se continuit, operas suas interim dispensans, donec factionibus civium, horumq; importunitate, urbs infesta reddita, iis non amplius tutò commeandi indulgebat licentiam, quorum intererat Cæsareum hoc invisere iudicium. Demigravit ergò ex eà [reservatà tamen facultate exercendi ibidem ejus, si fortè, & immunitate domiciliorum pro Scribâ & nunciis prædicti iudicii,] & *Kadolsburgum* concessit, annò Seculi XIVti quadragesimò nonò, auspiciò Burggrafiorum, non sine exoratà *CAROLI IV.* tunc imperantis venià, quam Ipse literis è iudiciò suò Aulicò, ferià primà post Dominicam Palmarum, ejus anni ad *Johannem Burggrafium* publicè perscriptis, prolixè impertiverat. Quò tamen locò non admodum diu substitit, sed elapsò triginta septem annorum spaciò, annuente *Wenceslao* Cæsare, ex arbitriò Burggrafiali, hinc iterum maturavit abitum, ac *Neostadii ad Aysum* suos collocavit lares, statuminante illos prænominati Imperatoris Diplomate, quod in Pineis conceptum, proximà post Felicis diem ferià, annò superius intimati Seculi octogesimò sextò, in pu-

(21) *Habuit tunc Burggr. in ipsà urbe CASTRUM, officialem iudicio simul cum Scultetò præsidem, & duas partes omnium emolumentorum, ex causis civilibus & criminalibus percipientem, Censum in 3. parte officii Sculteti. &c. Gylm. Vot. Cam. Imper. Tom. 1. part. 3. vot. 23. n. 43.*

in publicum emanaverat. Posteaquam autem annò sequentis seculi quinquagesimò sextò, de *FRIDERICI IV.* Imp. concessu & annutu Burggrafis libera Judicium isthoc quoquò transportandi facta fuit potestas, in medium Principalis sedis sinum, quem *Onoldum*, primaria inferioris Burggrafiatus civitas, atq; *Serenissimi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS FRIDERICI, Marggrafi Brandenburgici &c. Prussiae Ducis &c. Domini mei clementissimi, metropolis* explicat, feliciter acceperunt: in quò etiamnum requiescit mollissimè, blandissimè fovetur, decenter adornatur, ritè colitur, observatur, celebratur.

Et hæc sunt, Auditores optimi, quæ in confessu hòc vestrò splendidissimò de *Burggrafiatus Norici JUDICIO CÆSAREO-PROVINCIALI*, ad renovandos hodiernæ festivitatis honores, pro ratione præfiniti temporis, & vestrâ aurium indulgentiâ, meòq; captu, & documentorum copiâ, hic expromere jus fasq; ducebam. Jam cedit quæso, ecquid amplius superat? Id nempe, ut supremò veluti conatu, & convocatis omnibus, si quæ restant, dicendi viriculis, hoc *æqui justiq; domicilium, hoc legum phrontisterium, hoc innocentie asyllum, malitiæ exitium, utriusq; Burggrafiatus insigne decus atq; ornamentum, & verbò, hoc judicium Cæsareo-Provinciale Noricum*, sub alas clementiæ ac protectionis divinæ sollicitis reponamus precibus; cordicitus voventes, ut quâ valet illud atq; viget, quâ vividum est ac efficax, eâ Numen optimum id conservet porro, roboret atq; ampliet; quâ contrâ langvet ac laborat, quâ saucium atq; debile habetur, istâ sanet, recreet, confortet: ut perpetuo ita confirmatum usu atq; florens cultu, momenta justitiæ rectè semper ordinet, ingenuè administret, æquissimèq; dispenset: hocq; ad ipsius Dei, omnimodæ justitiæ fontis, ac supremi humanarum actionum arbitri, arbitrium & voluntatem, juxta juris æquiq; scita & tenorem, in

pacis publicæ & quietis incrementum, oppressorum opprobrium, iniquorum consternationem, atq; tandem provinciarum omnium isthoc frequentantium, & cum primis sva-
visimæ Patriæ, commodum fomentumq; præsentissimū.

Neque tamen hoc tantum, sed & reliqua omnia Burggrafatus utriusque Judicia inclytissima, Secretiora, Aulica, Feudalia, Sacra, atque insuper Curialia quæque, unâ cum Directoribus, Præsilibus, Consiliariis, & Adfessoribus cunctis, ac in universon omnibus pariter, atque *singulis Patribus Patriæ Conscriptis*, cœlestis precor tueatur Virtus, inumbret gratia, perfundat bonitas, & præsertim justitiæ amor ad asserenda jura, curandam æqvitatem, stabiliendas leges, sarcindam concordiam, abolendas lites, sopiendas similtates, puniendâ flagitia, tutandam innocentiam, & ut in compendiô omnia efferam, ad adstruenda bona quæq; & legitima, contra excindenda iniqua cuncta & nefaria; adversus malorum machinationes, studia, preces, fraudes, ac quascunq; deniq; corruptiones, efficaciter stimulet. Ut hœc pactô gloria terram nostram inhabitet, benevolentia & veritas, sibi mutuo obviant, justitiæq; & pax deosculentur invicem! Ut veritas oriatur de terrâ, & justitia de Cœlô prospiciat! Terra suos edat fructus & justitia in viis nostris gressus suos collocet! Quod ut votum, Unum unaque Trinum Numen, DEUS Optimus maximus, Effector & Moderator tanti muneris, semper solvat, semper signet, certumq; ac perceptum, itemq; ratum atq; fixum, perpetuò velit, devotissimè contendo, & quibus possum precibus suspiriisq; expeto.

In quô votô nunc desinerem, nisi amplius pietatis debitum, quô *Serenissimo Patriæ Patri*, subinstauratam Natalis hujus sui celebritatem, ad preces atq; vota, pro salute ejus liberaliter & ex animô fundenda, obligamur, *Auditores*, confidentem jam & expirantem vocem novô quasi anima-

ret

ret flatu ac extolleret. Nequè enim citra magnum crimen omittetur officium, cujus vel Ethnicos homines curiosos admodum ac diligentes extitisse accepimus. Uti scitum, Romanos equites, quàm impensè amarent colerentquè Augustum, palàm comprobaturos, præter honorem Senatûs-Consultorum, sponte per biduum illius celebrasse natalem, Quiritesq; omnes in lacum Curtii, ex votò pro salute ejus quotannis stipem coniecisse. Agite! reviviscat hoc in nobis studium, non paullo decentius, quò impendio magis à Sanctissimò divinæ voluntatis interprete, Spiritu, istud nobis commendatum novimus. Eamus ergò, eamus, inquam, denuò in vota, Auditores, atq; æternum illum omnis felicitatis publicæ Auctorem, illum exformnem Principum custodem, DEUM, supplicibus postulemus vocibus, ut quandò hòc ipsò die, ante hos tres & triginta annos, incomparabile suum nobis depositum, *Serenissimum Principem CHRISTIANUM ERNESTUM*, lætitiæ ac salutis nostræ indulgit; jam favere huic tanto suo velit muneri, eidemq; perennitatis addere gratiam. Quod quidem eò vehementius nunc oremus, quò majoribus pluribusve carissimum *Caput* periculis, inter hostium atrocitatem & perfidorum fraudes positum, nunc patere intelligimus: quovè horridioribus Cœlum in tristes coëns nubes procellis fulminibusq; ingravescere, ac in clades nostras armari, quotidie deprehendimus. Tu yerò, *benignissime JEHOVA*, quæ precamur, pronâ quæso aure accipe, atq; rata firmaq; præsta omnia. Tuere, serva, protege, hunc Nostrum nobis, quem dedisti, Principem, ut & nos, quos Suos esse voluisti, vicissim tueatur, servet, protegat! Ætatem Illius firma, & de nostris Ejus augens annos ad memorabilem ultimamq; viridem tamen atq; indeflexam, maturitatem provehe! Moderare consiliis Illius, & magnanimis ausibus lætos exitus adspira! Eadem

dem prosperitas, in *Serenissimam Conjugem*, idem fatum in *Celsissima* inusitati amoris pignora, compar & in universas *Brandenburgicæ Stirpis* propagines fortuna, semper & uberimè redundet! Ita non Nobis modò, sed & posteris, si qui erunt, nostris, felicissimò rerum statu juxtà lætis, ad ipsos ævi mundiq; inclinantis terminos, exoptata & plenissima jucunditatis vitæ spatia, futura olim secula annumerabunt. Tuum verò, *Serenissime Princeps*, hoc natale, fidus gratiosiori subinde renovatum lumine, vetumq; horis lætabilioribus, identidem Cœlo renascatur. Renascatur, DOMINE, *Tibi* feliciter & auspicatò; *Celsissimæ Conjugi* atq; *Soboli* exoptatò ac jucundè; *inclytæ Genti Brandenburgicæ* gloriosè atquè faustiter; *Patriæ* beneficè fructuoseque; universo deniquè Orbi pacatè, salutariter, ac memoratu dignissime! Speciatim tamen CHRISTIAN-ERNESTINO *Tuo*, inque eo Nobis, quos peculiariter vindicasti *Tibi* Tuosque fecisti; Nobis, inquam, immortalis virtutis nominisq; Tui celebrationi solennissimè dicatis devotisq; quotannis id recurrat impensius ornandum, recolendum, consecrandum: ut Natalis ita Tuus gloriosò semper & lætabili auspiciò industriam nostram occupet, altissimeque defigat.

Adeò

Semper honos, nomenq; Tuum, laudesque manebunt.

DESI-

esto I.

DESIGNATIO

Unterschiedener Hoch-vornehmer/
ben diesem Hochlöbl. Kaiserlichen Land-Vericht/
Burggraffthums Nürnberg/ sich begebener/ und aus
dessen Archiv, unter mehr andern/extrahirter
Gerichts-Fälle.

1.

Hoch-Edel- und Hoch-achtbar Herr
Kas Ludwig zu Dettingen/Hofmeister/ und Haupt zu Papp
penheim/des H. Reichs Marschall/als Anwald Herrn Sig
gmunden Römischen Königs /ic. haben fürgeladen Bür
ger / des Raths und Gemeinde zu Kempten / die sind in die
Acht zu sprechen erkannt / in libro mit O. signirt, Judicio in Cas
dolzburg fer. 4tap. Bartholomæi, Anno 1432. fol. 257.

Item im Register mit dem C. steht / daß denen von Kauff- Bay
ern geschrieben ist / von Kaiser Sigmunds wegen / zu meiden die von
Kempten / die in der Acht seyn / von Klag wegen desselben Kaiser Sig
munds / ist geschehen am Mittwochen nach Nicolai, im 1432. Jahr.

2.

Item / Haupt zu Pappenheim / des Heil. Röm. Reichs Erb-Mar
schall / als Gewalthaber des Allerdurchleuchtigsten Fürsten und Herrn/
Herrn Sigmund Römischen Königs / wider Bürgermeister und Ge
meinde der Stadt Worms und Speyer / und steht darbey daß Speyer
geantwortet / libro O. fol. 391. eodem anno 1432.

3.

Eodem libro O. fol. 293. steht / daß Haupt Marschall an
Statt

J iij

Statt

Statt Kaiser Sigmunds / mit vollem Gewalt geladen hat Ammeister
und Burger des Raths zu Strassburg.

4.

Item in libro O. fol. 255. stehet / das Haupte Marschall an
Statt Kaiser Sigmund / Burgermeister und Rath der Stadt Mainz
geladen hab.

5.

Heinrich von Stoffel / Freyherr zu Justingen / als Gewalthaber
König Bertislai zu Poln / ic. hat fürgeladen die Städte Ehringen/
Schelckingen / Berg und Mündelheim / die haben geantwortet libro
Y. fol. 47. Judicio in Cadolzburg / gehalten feria 4ta p. Remini-
scere, Anno 1433.

6.

Marten von Sib / und Conrad Holzinger / an statt und von we-
gen / mit vollem und ganzen Gewalt / des Allerdurchlechtigsten Fürsten
und Herrn / Herrn Albrechten / Römischen Königs / ic. haben fürgeladen
Steffan Scherff von Reiß zu Basel / etwan Münzmeister zu Franck-
furt / Judicio in Nürnberg / feria 5ta ante Martini, Anno 1438.
fol. 166. libro T. und ist darneben geschrieben / das der Gewalt mit
Urtheil / als ungenugsam / aberkannt sey. fer. 5ta p. Invocavit.

7.

Ex Registro E. es ist ertheilt / das man den Allerdurchlechtig-
sten Fürsten und Herrn / Herrn Friedrichen / Römischen König schreiben
soll / das Er den Edlen / Wolgebornen Herrn Leupolden / weder hausen/
hofen / essen / träncken / sondern ihn meiden soll / als einen Nechter von
Recht / wann ihn Conz Otten Walthar von Eystete mit Recht in dis
Land / Gerichts Acht gethan und gebracht hat / Judicio in Go-
stenhof fer. 3. post Dominicam Invocavit.

Anno 1440. fol. 45.

EXTRA.

II.

**EXTRACTUS
AUREÆ
BULLÆ,
REGIS
RUDOLPHI.
DE INFEUDATIONE BURG-
GRAVIATUS NORIBERGENSIS,
ANNO M. CC. LXXXI.**



RUDOLPHUS DEI gratia Romanorum
Rex, semper Augustus, omnibus in perpetu-
um Regalis præminentia debita esse di-
gnoscitur, universos sibi devotos & fidelitatis
promptitudine obsequentes, condignis retri-
butionum præmiis prævenire, ut exem-
plo remunerationis hujusmodi provocati cæteri ad ipsius
obsequia fidentius animentur. Ad universorum igitur tam
præsentium quam & futurorum notitiam volumus pervenire,
quod nos attendentes fidem puram devotionemq; sinceram,
quam Nobilis Vir FRIDERICUS Burggrafius de Nürm-
berg, consanguineus & fidelis noster dilectus, erga Nos & Ro-
manum

manum gerit Imperium, considerantes quoque grata, fidelia,
& laboriosa, quæ sæpè nobis & ipsi Imperio fructuosè im-
pendit, obsequia : Ipsi F. Comiciam Burggraviæ in
Nürnberg, castrum quod tenet ibidem, custodiam portæ
juxta dictum castrum sitæ : Judicium Provinciale in Nürm-
berg, cui etiam Vice Imperatoris exercens omne Judicium
& judicans exercebit &c. cum aliis feudis, quæ prædi-
ctus Burggrafius & Sui Progenitores ab inclitæ recordationis
Imperatoribus & Regibus, Nostris Prædecessoribus, feudali
titulò tenuerunt & habuerunt, sicut aliàs de consensu No-
strorum Principum Aquisgrani omnia supra dicta sub æreo
Nostro Sigillo sibi concessimus, sic & nunc ipsi ea concedi-
mus, in feudum &c.


Testes hujus rei sunt, Sequentes : E. de Catzenelbogen,
H. de Vürstenberg, Al. & B. de Honberg Comites, & Nobiles
Viri, Ul: de Elingen, G. de Brunekke, C. & G. de Honboch,
& alii quam plures. In Cujus Concessionis nostræ Testimo-
nium & perpetuam firmitatem prædicto Burggravio præsen-
tes literas dari & **BULLA** nostra **AUREA** Typario
Regiæ Majestatis impressa jussimus
communiri, Datum &c.

F I N I S.

1 de Fuga
 2 de Cessione Legi.
 Anastasiane.
 3 de Exemptione absentie
 4 Jura circa Cadaver.
 ra Annana.
 5 de Nomin. P. Muller.
 6 de Exemptione suspicio.
 nis. idem.
 7 de Actiones in iuram
 sacerdotes concernentes
 Simon.
 8 Violatione Legati.
 idem.
 9 de bona fundo cohaer
 ente. Rothig.
 10 de delictis inomin.
 Simon.
 11 de Ablatione Reialie
 na in casu necessit. idem.
 12 Testam. parentu inter
 Liberos. Schleroyt.
 13 Civitatis ex mutuo obli.
 gatio. Beckmann.
 14 de equo arcaegors
 puto. idem.
 15 Invenientia delictu.
 pventu. idem.
 16 de hominis mortu
 sepultura prohibita
 Rothig

17 sumptus Canonu Nuptialis
 18 de Arbitrio compromissario et iuribus
 19 de Arbitrio compromissario et iuribus
 20 de securitate Metuentiu. Muller
 21 Non occides. Ulrichs B.
 22. Judicium Casareo Provinc. Tori.
 cula. Hagen.
 22. Obligatio Natus. Schleroyt.
 23 de Jure sequestrat. Navig
 24 de Contract. mutui. Neayer
 25 de pecunia publica. Muller
 26. Jura pupilloru. Simon
 27. Jura pupilloru. Simon
 28 de Jure pover. Soryt.
 29 de bene merito. Muller.
 30. de Regula Canonica. Strauch
 31. de Bavaria. Lyndor.
 32. de Jure incommuni. Linder
 33 de statu Leg. Redo et Cr.
 rupto Sypoffur.





64328

AB: 64328

ULB Halle 3
005 130 247



KD 77



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ICIUM
REO-PRO-
E NORICUM,
IXTA
UNITATES, JURA,
GNATIONEM ATQVE
NEC NON PERSONAS,
VAM HODIE ISHOC
RNANTES,
NATALI
SS. PATRIS
TRIAE
T TRIGESIMO,
N, CHR, cl. DC. LXXVII.
ONE PA-
YRICA
IS ADUMBRATUM,
HEINRICO Hagen/
MATHES. PROF. PUBL.
RUTHI,
GEBHARDI.

29

